Erlangen

THESIS

ERLANGEN

1797 STOK

DE

HYOSCYAMI NIGRI
VIRTVTIBVS MEDICIS

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENTIENTE ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE

IN LITT. VNIVERS. REG. FRIDERICO ALEXANDRINA

PRO GRADV

DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME OBTINENDO

ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

GEORGIVS HENRICVS STOKAR

DE NEVFORN

SCAPHVSA - HELVETVS

D. SEPT. cIↄ Iↄ CCXCVII. 1797

ERLANGAE

TYPIS KVNSTMANNIANIS.

VIRIS

ILLVSTRIBVS EXPERIENTISSIMIS HVMANISSIMIS CANDIDISSIMIS

IOANNI HENRICO RAHN

MEDIC. DOCTORI CANONICO ET PROFESSORI PHYS. ET MATHES. IN CAROLINEO TIGVRENSI CELEBERR.

COMITI PALAT. CAES. SOCIET. MEDICOR. ET CHIR. HELVET. PRAESIDI SPECTATISSIMO ETC. ETC.

FAVTORI AC PRAECEPTORI

AD CINERES VSQVE PIE VENERANDO

ATQVE

IOANNI GEORGIO STOKAR DE NEVFORN

MEDICINAE DOCTORI ET IN REPVBLICA SCAPHVSIENSI PRACTICO MERITISSIMO

PARENTI PIO OPTIMO AMANTISSIMO

LIBELLVM HVNC

IN PIETATIS INSVPERANDAE ANIMIQVE GRATISSIMI TESSERAM

D. D.

AVCTOR.

PRAEFAMEN.

Levem, quam hic *Lectorum* peritorum indulgentiae humanaeque cenſurae trado, opellam ſcribendam ut ſuſciperem, ſicuti ſueta ſpeciminis alicuius, quod inaugurale vocant, in publicum edendi lege, ita potiſſimum excitatus ſum tam eximia, quam equidem foveo, *Hyoſcyami* virtutum ſalutarium atque ad medicinam faciendam praeſtantiae exiſtimatione, exorta mihi tum ex aliorum virorum celeberrimorum iuncta experientia, tum (ſi magnis parva componere licet) ex meis quoque, quas pluries inſtituere contigit, qualibuscunque circa Hyoſcyami ſaluti-

 feros

feros effectus obſervationibus, quam ingenuo quodam facileque condonando mihi deſiderio, ſi fieri poſſit, pro viribus quaedam conferendi ad uſum huius pharmaci medicum, et, ratione legum ac conditionum, quibus aptus, iuſtus, et vere neceſſarius is reddatur, accuratius explicandum, et, quum adhuc idem nondum ita, ac par eſſet, inter medicos increbruiſſe videatur, cum ſumme neceſſaria cautione ac limitatione commendandum amplificandumque. Praeterea ſimul ad Opii uſum, cum Hyoſcyami uſu, quantum hoc iuſto aptoque modo fieri poteſt, quantumque hic licuit, comparandum reſpiciens, *Hyoſcyami* in quibusdam, iisque haud ita paucis, corporis conditionibus adhibendi, prae opii uſu, praeſtantiam tutioremve rationem, ex mea quidem qualicunque ſententia, atque ea, quae mihi proh dolor per libelli temporisque rationem impoſita erat, brevitate monſtrare ſtudui. Certo enim mihi perſuaſum eſt, (quod libere profiteri non dubito), Hyoſcyamum non modo in hic laudatis,

datis, ſed forte in longe plurimis caſibus; in quibus *ſedandorum* motuum fibrae ſenſilis et irritabilis vehementiorum atque etiam *ſpaſmorum* in muſculis vaſisque *tollendorum* princeps ratio eſt, Opii, frequentius hucusque inter plerosque uſurpari ibi ſoliti, locum optime tenere, quin immo ſaepius huic poſteriori, tanquam melius tutiusque agens, anteferendum eſſe. Haud tamen coeco improboque cuidam amori, in Hyoſcyami uſu laudando, nimium me indulſiſſe, ex ipſo commentariolo paſſim apparebit.

Quod attinet ad Hyoſcyami eiusque uſus etc. hiſtoriam, inter veteres praeſertim, ex ipſis auctoribus, qua fieri a me potuit cura elaboratam, hanc eam praeſertim ob cauſam aliquanto diligentius longiusque tractandam eſſe putavi, quod ex ea obſervatis dictisque a recentioribus medicis circa Hyoſcyami adverſus c. h. varios morbos uſum non ſolum firmitatis multum, ſed forte etiam novae lucis et augmenti quid accedere mihi

ſit

ſit viſum. Praeterea, adiecta ipſa illa hiſtoria, libello utilitatis quid gratiaeque apud Lectores eruditos et antiquitatis medicae amantes me forte addidiſſe, eo ardentius cupio, quo magis ipſe libelli imperfectam tenuemque naturam ſentiam.

DE

HYOSCYAMI NIGRI VIRTVTIBVS MEDICIS.

I.

Brevis Hyoſcyami Botanologia.

De quo ſcribere nunc animus eſt, *Hyoſcyamus* ſecundum ordinem plant. naturalem ad *Solanacearum* familiam refertur, in plantarum vero ſyſtemate Linneano locum tenet in Claſſis V. *Pentandria* dictae, Ordine primo, ſ. *Monogynia.* Corollae enim inſunt quinque ſtamina, unum piſtillum circumdantia. *Generis* Hyoſcyami videas, quae exhibetur in LINNEI *Gener. Plant.* (edit. VIII. cur. Perill. de SCHREBER, Fautore pie devenerando, T. I. p. 133.), deſcriptionem.

Breviter character generis Hyosc. proprius et diacriticus in *Syſtem. Plant. Linn.* (ed. REICHARD. 1779.) et *Syſtem. vegetab.* (ed. XIV. MVRRAYI 1784.) ſic adumbratur.

Corolla infundibuliformis obtuſa. *Stamina* inclinata *Capſula* operculata, bilocularis.

Idem nuper ab Ill. G. F. HOFFMANN (*Deutſchl. Flora* 1791. p. 77.) ita delineatus:

Corolla infundibulif. obtuſa; ſemiquinquefida, *lacinia* unica reliquis latiore: *Stam.* inclinata: *capſula* bilocularis, circumſciſſa, operculo dehiſcente.

Species Hyoſcyami a Botanicis hodie numerantur ſeptem (aut octo); e quibus ad nos jam conſiderandus potiſſimum pertinet:

1. *Hyoſcyamus* NIGER, foliis *amplexicaulibus*, ſinuatis, floribus fere ſeſſilibus.

Icones ejus vid. in *Hort. Clifford.* T. 56. *Herbar. Blackwell.* T. 550. REGNAVLT *la Botanique miſe* etc. (Paris 1774.) la Iusquiame. ZORN *icon. pl. med. cent. I.* Tab. 84. STOERCK *libell. de Stramon. et Hyoſc.* T. II. BVLLIARD *herbier de la France* T. 93. (optimum iconem exhibet.)

GRAECORVM Ὑοσκυαμος *a*), (i. e. *ſuis faba*, unde alios parum recte *Hyoſciamum* ſcribere, patet); *H. ſemine nigro floreque purp.* DIOSCORIDIS; LATINORVM veterum et medii aevi *Hyoſcyamus niger* ſ. ſemine nigro, *Altercum*, *Apollinaris herba*, *Calicularis b*); ARABVM *Bengi*, [ſem. nigro *c*)] [rarius

a) Licet veteres plerumque hoc nomine, ubi ſine epitheto inter medicaminum ſimplic. et compoſitor. numerum recenſetur, haud nigrum ſed *album* comprehendere ſolebant. Alia Hyoſcyami inter veteres nomina, minus ſueta, poſtea dicam.

b) CAEL. AVRELIAN. *Chron.* L. II. c. 13. LVC. APVLEIVS *de virt. herb.* c. 4.

c) EBN SINAE *Canon.* L. II. Tract. II. (ed. *Coſtaei* Ven. 1564. T. I. p. 320.) IO. SERAPION de ſimpli-

[rarius *Altercangeni d*)]; ARABISTARVM et LATINOBARB. *Symphoniaca e*), *Dentaria*, *Faba ſuilla* et *F. Iovis*, *Dens caballinus f*), *Caſilago*, *Verrutaria* (vid. Synonym. in Meſuae edit. cit.), *Iuſquiamus* (vulgatiſſ. olim); GERMANOR. *Bilſenkraut*, *Bilſamen*, *Schlafkraut*, *Tollkraut*; GALLOFRANCOR. *Iuſquiame*, *Hannebane*; HISPAN. *Velenho*; ITAL. *Iuſquiamo*; ANGL. *Henbayne*; BATAV. *Bilſen*, *Malcruyt*; DAN. *Fandensnoſſer*, *Fandenspunger*; BOHEM. *Blijn*.

Idem eſt ac H. vulgaris et niger C. BAVHIN. (*Pin. Theatr*. Baſil. 1671 nr. 169; et I. RAY (*hiſt. Pl.* 1686. 118.); H. flavus L. FVCHS. (*hiſt. Stirp*. 378.) Reliqui fere omnes Botanici nigrum appellant.

Creſcit H. niger in omnibus fere Europae terris (circa hanc quoque urbem) in locis ruderatis ſubpinguibus, ac juxta vias publicas, villasque. *Floret* menſ. Iul. et dimid. Auguſt., eoque tempore eſt colligendus. Annua eſt planta; radix biennis.

ſimplicib. c. 330. (ed. O. *Brunfels*. Argent. 1531. p. 225.

d) Quod nomen non niſi in nota *Harduini* ad PLIN. *Hiſt. nat.* L. XXV. c. 17. p. 364.) memoratum invenio, tanquam, aeque ac *Altercum*, ab "altercari" deſumtum.

e) LUC. APVLEIVS de *virtutib. herb.* c. 4. (in *Alban. Torin.* collect. *ſcript. de re med.* Baſil 1528. f. p. 102.) Habet etiam ſubſequentia tria nomina.

f) ANDR. CAESALP. de *Plantis* L. VIII. Cap. 44. Flor. 1583. pag. 345. MATTHIOLI *Kräuterbuch* ed. *Camerar.* p. 373.

Haud opus erit, plantam, medicorum facile nemini ignotam, copiofius defcribere. Rite tamen noftri tam ab albo quam ab aliis plantis diftinguendi caufa, haec notanda funt: *Radix* H. nigri eft craffa, rugofa, multifida, Apii, Petrofel., Paftinacae vel Cichorei fere fimilis. *Folia* funt ampla, mollia, lanuginofa, aliquantum vifcida, obfcure virentia, marginibus altius, fed haud certo ordine incifa, pariterque fine ordine circa caulem diffufa, copiofa, praefertim fuperius et ad apicem plantae. *Caules* bicubitales fat craffi, teretiores, ramofi, denfa et hirfuta lanugine obducti; pili digitis compreffi vaporem unguinofum foetidum reddunt. *Flores* monopetali unam maxime occupant feriem deorfum, infundibuli formam tenent, et in quinque lacinias obtufas diffiffi funt, colore fubluteo, praefertim verfus marginem, in medio ex rubido fufco magis, venis quibusdam purpurefcentibus interfperfis; *Stamina* purpurea, antheris craffis praedita. Floris, belle licet picti, lugubris tamen facies. *Calyx* hirfutus, oblongus. *Semina* exigua, fubcinerea, et grifea magis, aut ex flavo fubfufca, rugofa, fubrotunda, compreffa. Omnis plantae recentis, maximeque foliorum, gravis et taediofus admodum, immo ftupefaciens eft odor, felium urinae illi non plane abfimilis.

Solus hic H. niger hodie in Germaniae Pharmacopoliis proftat, medicisque ufui eft. At quum alia adhuc Hyofc. Species, nimirum H. *albus*, tum iisdem fere, ac nofter, imbecillioribus licet, utatur viribus, tum in terris calidiori-

bus,

bus, ut in Gallia, Hiſpania etc. adhuc paſſim a medicis uſurpari ſoleat, vel hujus quoque brevem dabo adumbrationem.

2. *Hyoſcyamus* ALBVS, foliis *petiolatis*, ſinuatis, obtuſis; flor. ſeſſilibus.

Icones vid. ſupra memor.; praeterea PH. MILLER *Fig. of Plants deſcr. in the Gard. Diction.* (Lond. 1771.) T. 149. LIB. SABBATI *hort. Rom.* (Rom. 1772-75.) T. 91.

Hunc, uti jam dixi, Veteres plerumque intelligere, ac in uſum vobare ſolebant. Idem eſt ac:

Hyoſcyamus ſemine floribusque albis ſ. tertius DIOSCORIDIS. H. albus REMB. DODOENS *Pempt. Stirp.* (Antw. 1616.) 451. IOH. BAVHIN *hiſtor. plant.* (Eberod. 1650.) Vol. III. 620. — H. albus vulgaris CAR. L'ECLUSE *Hiſt. rarior. Stirp.* (Antw. 1601.) II. p. 118. H. candidus HIER. TRAGI *(Bock) Herbar.* (Argent. 1552.) 134. H. albus major et minor C. BAVHIN. (*Pin. Th.* 169)

Creſcit H. albus (*weiſſes Bilſenkraut*) in Europae terris calidioribus et meridionalibus, in Sileſia etiam, aliisque auſtralibus, elatioribus, ſiccioribus. Floret menſe Iulio, quo tempore colligendus. Pl. annua.

Differt a priore *foliis* mollioribus, minoribus, minus ſinuatis, petiolatis; *caulibus* brevioribus, minus ramoſis; *floribus* fere candidis, minori-

noribus; *ſeminibus* albis; *odore* denique aevi ſtapefaciente mitiore, licet ſenſui infeſtis.

Cujus albi Hyoſc., quum neque vires et virtutes medicae, utpote quas manifeſtim debiliores (etſi minime parvipendendas) eſſe, omnes medici jam antiquitus conſentiunt *), ſint pares nigri iisdem, neque inter medicos noſtrates vix ullus ſit uſus g), neque etiam eius virium experiendarum mihi ulla fuerit occaſio, hunc iam relinquo, quidquid in ſequentibus de Hyoſcyami uſu etc. proferam, ad nigrum relaturus.

*) Eodem fere tempore, quo Typographi prelo haec ſucjicere vellem, incidi in libr. noviſſime editum: FR. IAHN *prakt. Mat. med.* Erfurt 1797. ubi (Vol. I. p. 437.) mirabundus verba inveni: " *Man braucht bei uns häufiger das ſchwarze Bilſenkraut, obgleich eigentlich das weiſſe das wirkſamere ſeyn ſoll.* " Quum equidem vix ullum ſciam, qui hoc experientia doctus adhuc affirmaverit, doctiſſ. autor. forte errore quodam fortuito Hellebor. alb. (Veratrum album) aut aliud ejusmodi cum iſto commutaſſe, opiner. Caeterum, quae in opere illo de Hyosc. noſtro nova invenero, huic opellae, quantum fieri adhuc licebit, paſſim intercalabo.

g) Paucae tantum adhuc ſuperſunt in offic. noſtris compoſitiones, quas H. *albi* ſemen ingreditur, Scil. *Pil. de Cynogloſſo*, deleteria *Nicolai requies*, *Philonium romanum*, et *Trochisci Alkekengi*, quas, praeſertim tres poſteriores, damnandas adeo medicinas, licet plures Pharmacopoeae meliores iam dudum iure ſuo profligaverint, aliae tamen, eaeque ſat notae, ad hunc usque diem recipiunt.

II.

II.

Partes Hyoſcyami et Praeparata ex eo, uſui medico inſervientia, et in officinis proſtantia.

A) Partes ſimplices.

(*Radix* Hyoſc., olim uſitata; nunc abolita). — HERBA ſ. FOLIA Efficaciſſima plantae pars et hodie fere ſola interno corpori adminiſtrari ſolita; nonnumquam tamen extrinſecus quoque. Sapor herbae fatuus eſt, vix acrimoniae veſtigia aliqua relinquens. Manibus fricatae viroſus odor multum augetur.

SEMEN. Hodie potiſſimum in uſum externum vocatum. Rariſſime apud nos in internum. Aliquanto minus efficax eſt ac herba. Sapor recentis paulum glutinoſus, ſicci fere nullus eſt; aliquantum tamen in eo convenit cum ſem. Papav. — Odor recentis ingratus, narcoticus, ſicci nullus.

B) Praeparata ex Hyoſc. in officinis et Compoſita.

EXTRACTVM HYOSC. ſ. *ſuccus herbae inſpiſſatus* vid. *Pharmacop. Danic.* 1772. pag. 173. — *Ph. Suec.* (Verſ. German. 1776.) p. 102. — *Pharm. Wirtemb.* 1786. p. 82. Praeſtat, monente b. MVRRAY *b*), denſare ſuccum ope caloris ſolis, loco ignis, ne huius vi avolent partes efficaciores ac ſubtiliores. Neque extractum eandem ob cauſam anni dimidio, ad ſummum anno, diutius ſervare

b) Appar. med. ed. II. T. I. p. 668.

usui licet. Vas, cui inest, arcte clausum esse oportet. — Odor extracti gravis est ac narcoticus. Sapor fatuus est, subnauseosus, vix acris, parum amarus. Omnium ex Hyosc. praeparatorum Extr. hoc viribus plantae propriis maxime pollet, efficaciaque praestat herbae pulveri. Idemque hodie solum medici nostri ore sumendum porrigere solent. — Extractum pondo circiter quartam partem herbae, ad id parandum sumptae, aequat. Larga itaque copia obtineri potest.

OLEVM HYOSC. *Exprimitur* ex *seminibus* Hyosc. tostis, contusis, larga copia illud exhibentibus. Describitur hoc oleum in omnibus fere Pharmacopoeis, vel in antiquissimis.

Oleum hoc, sicut alia seminum olea, omne quidem, ut videtur, seminum nucleis inest, ideoque mite ac unguinosum est; attamen minime caret omni vi plantae Hyosc. propria; iureque potius, experientia id abunde confirmante, pro anodyno, multo debiliore licet, ac extractum ipsaque herba, habendum est *i*). Mediocri calore exprimi debet.

UN-

i) Quodsi etiam nucleo ipsi vim illam inesse haud verosimile sit, eodem tamen corticem seminum pollere merito censendum est: neque inde esse mihi videtur, quod dubitemus, pressionis vi e cortice illo materiae, qua pollet, narcoticae quid elici nucleorumque oleo admisceri. — Ceterum esse scio quosdam materiae medicae autores, imprimis Ill. ARNEMANNVM (*Arzneimittell. II. Ausg.* p. 352.) qui olei Hyosc. vim esse peculiarem anod. negent, idque ceteris oleis mere unguino-

sa

VNGVENTVM HYOSC. *Pharmac. Wirtemberg.* p. 22. Paratur ex foliis Hyofc. recentib. cum axungia porc. contufio coctisque; expreffis addito oleo Hyofcyami.

EMPLASTRVM HYOSC. *Ph. Wirt.* p. 59. Conftat ex Oleo fem. Hyofc., fucco herbae eiusd., quibus coctis adm. cera flava, Therebinthina et pulvis herbae Hyofc.

Praeterea *ingreditur* Hyofcyamus alias medicinas ufui corp. externo dicatas, adhuc ufitatas proficuasque.

Unguentum populeum Ph. Dan. p. 285. — *Ph. Wirt.* p. 226. (Infunt folia Hyofc.)

Unguentum haemorrhoidale Ph. Dan. p. 280. (Ol. Hyofc. *Dr.* II. cum Ung. nutrit. *Dr.* VI. Camphor. trit. *Scrupl.* II. Croci *Scrpl.* I.

Unguentum de Linaria Ph. Dan. p. c. (Folia Hyofc.)

Emplaftrum de Cicuta cum Ammon. Ph. Dan. (Ol. Hyofc.)

fis aequiparent: at iiscum ego, de contrario certo perfuafus (cujus probandi locus infra erit), confentire non poffum. Video quoque, Cel. IAHN (*Prakt. mat. med.* p. 438.) oleum Hyofc. fuperfluum cenfere, eiusque loco commendare oleum olivarum, cum Hyofcyami herba recenti, quo tempore ea maxime eft fucculenta, concifa et contufa, probe coctum. Cujus quidem olei, nondum quidem a me in ufum vocati, egregiam effe poffe efficaciam, lubenter concedam.

Ut transeam alias compositiones, obsoletas magis ac superfluas.

III.

Antiquitates Hyoscyami.

Antequam ad medicas vires effectusque Hyoscyami nostri proprius considerandos accedam, haud inutile videtur, quaedam de usus planta hujus origine fatisque inter medicos veteres ore succincto praemittere.

Antiquissimis jam temporibus notus fuit *Hyoscyamus*, tam venenatis quam salutaribus suis viribus. Nominis origo petenda forsan videtur a traditione vetusta ab AELIANO *k*) nobis servata, herbam illam, *suibus* agrestibus, eam forte devorantibus, maxime esse infestam lethiferamque. Unde etiam a PISONE, celebri antidoti ab ipso nomen gerentis olimque usitatissimi (cui quoque insunt semina Hyosc.) inventore, faba apri Arcadici fuit dicta *). Ob eius vires salutares, postea obser-

k) *Var. Histor.* L. I. cap. 7. AEL, sues, ait, ubi inscii Hyosc. comederunt, posteriorum pedum convulsione (τα ἐξοπισθεν ἐφελκυσι) et paralysi afficiuntur. Tum convulsi (σπωμενοι) licet, ad aquas prorepunt, ibique cancros quam citissime colligunt devorantque. Ex iisque morbi medicinam sibi sumunt et integram recuperant valetudinem.

*) GALEN *de compos. med. sec. loc.* L. IX. c. 4. *Opp.* ed. *Chart.* T. XIII. p. 608. (ubi ipsa est Piso-

obſervatas, ab aliis ſerioribus Διοσκύαμος (Iovis faba) paſſim appellatam quoque fuiſſe, legitur *l*). — Ab iisdem viribus medicatricibus profecta quoque eſſe videntur Hyoſc. nomina *Pythonium*

Piſonis poetica deſcriptos) et p. 609. Alludit Piſo fabulae de Hercule, aprum Erymantium, in Arcadia nutritum, interimente. Herculique Hyoſc. inventionem adſcribi, PLINIVS ait (*Hiſtor. nat.* L. XXV. c. 17.) An forte Hercules Hyoſcyamo aprum illum occiderit?

l) DIOSCORIDIS *opp. L. IV. cap.* 67. *ed. Marc. Vergil.* Colon. 1519. p. 506. Sive h. l. rectius *Pſeudo-Dioſcoridis*. Quae enim in Dioſcoride in plurimorum capitum initiis leguntur plantarum nomina et ſynonyma, ex parte vel inter barbaras gentes, ut inter Perſas, Africanos, Gallos etc. ſueta, graecisque litteris, neque vero graece (quin vocibus saepius ab huius linguae indole maxime abhorrentibus) illic translata, ſpuria ſane et a multo feriori demum manu interpolata ſunt habenda. Neque enim Dioſcoridem jam comperta habuiſſe omnia iſta nomina ex parte maxime barbarae originis, neque ipſum plura illorum, utpote ſerius demum atque poſt ipſum forte inventa, qualia Arabum, Gallorum etc. noſſe potuiſſe, exiſtimandum eſt. Optime vero ſynonymorum iſtorum ſpuria origo inde apparet, quod eorundem quam plurima, ad verbum fere, latinis licet litteris exarata, in in LVC. APVLEI *de virt. herbarum* libro quoque reperiantur, ita ut videri facile poſſit, graecorum illorum nominum plura ex latino demum eſſe translata. Num autem ex hoc ipſo *L. Apuleii* libro in Dioſcoridem irrepſerint nomina, dubium ſane, neque facile expediri poterit. Video quidem, Ill. ACKERMANNI hanc eſſe ſententiam (FABRIC. *Bibl. Gr.* ed. HARLES T. IV. p. 681.), at quo minus firma ea

nium m), et (quod idem) *Apollinaris n*), itemque *Adamas* (quod tamen foite praeter Diofcor. et Apul. nusquam legitur.) — Quae praeterea apud eosdem fcriptores memorata inveniuntur plantae noftrae nomina peregrina, apud Aegyptios *Saphtho* et *Ligea*, apud Punicos *Gingan*, apud Phryges (Al. leg. Eliges) *Remenia*, apud Pythagoram, Magos et Ofthanem *Xeleona*, apud Zoroaftrem *Typhonium* etc. vetuftatis faltem plantae noftrae, tanquam pharmaci, in teftimonium vocari vix queunt, quam eorumdem, quantum memini, apud nullos alios auctores fiat mentio, neque profecto indubia fit utriusque iftius pf. fcriptoris fides. Neque minus vero Hyofcyamus a viribus fuis

ea ftet, obftare videntur: 1) Aetas antiquiffima codicis *Diofcor.* Viennenfis, fynonyma illa additia iamiam continentis, in faeculi VI. initium a viris doct. pofita. 2) Aetas libri iftius *Luc. Apuleio* adfcripti, ab Ill. SPRENGEL (*pragm. Gefch. der Arzneyk.* T. II. p. 178.) demum Saecul. VIII. aut IX. adeo fcriptum effe crediti, et nifi poft codicis illius aetatem, (ubi hunc revera antiquum adeo effe affirmes) certo tamen ea non prius confecti. Forfan fynonyma illa a librariis Monachis aut aliis collecta Diofcoridisque textui inferta, pofteaque ex hoc ab ifto Pfeudo-Apul. iterum defcripta fuere. Revera quoque contextus Apuleii, male vitiatus, permultis locis e Graeco Diofcoridis corrigendus videtur.

m) DIOSCOR. l. m. L. APVL. (ed. Alb. *Torin.*) c. 4. p. 102.

n) PLIN. *Hift. nat.* L. XXV. c. 17. L. XXVI. p. 412. 13. DIOSCOR. et APVL. l. l. m. - At Solani etiam fpecies, fomniferum *Diofcor.* (Phyfalis fomnif. L. ?) paffim Apollinaris minor audit.

ſuis noxiis, mentemque et ſenſus turbantibus varia obtinuit nomina, qualia fuere inter Graecos Ὑπνοτικον, Ἐμμανες *o*), inter Latinos *Altercum p*), quo crebrius utebantur, aeque ac *Inſana* [herba *q*)]. Thuſcis inde *Fabuloniam*, Galliſque *Bellinuntiam* audiiſſe, e DIOSCORIDE idem comperimus. Vulgare tamen plantae nomen, Hyoſcyami puta, uſitatiſſimum erat, tam inter Graecos, quam inter Romanos, apud quos ſaepius quoque Hyoſcyamum (apud Celſum, praeſertim apud Plinium) ſcribitur.

Botanologia Hyoſcyami inter veteres expeditu aliquantum difficilis eſt. Revera enim neque genus huius plantae, neque etiam ſpecies eius ſat bene diſtinxiſſe, quin cum ſimilibus, maximeque eum daturae atque ſolani aliquot ſpeciebus hinc inde confudiſſe antiquiores Botanologi videntur. Apud THEOPHRASTVM *Ereſ.* nulla prorſus Hyoſcyami fit mentio, neque ipſum inde diſtincte hunc noviſſe putandum eſt. Primus vero *r*), qui

o) DIOSCOR. et APVL. l. m.

p) PLIN. l. m. SCRIBONIVS LARG. *Comp. med.* (ed. *Bernhold*) p. 59. 71. 101. CAEL. AVRELIAN. *morb. acut.* III. 21. (ed. *Almelov.*) p. 263. ,, Hyoſcyami ſeminis, quem nos Altercum dicimus.,, *Diuturn.* II. 4. p. 371. V. 2. p. 564.

q) SEREN. SAMON. *c. de medicina*, cum C. Celſo edit. Lugd. 1554. p. 547. ,, Et quae vulgari ſermone Inſana vocatur, Graecos Hyoſc. etc ,,

r) Ubi ſcilicet, quod omnino ſic videtur, noſtrisque antiquitatis peritis viris hodie prorſus arridet, DIOSCORIDEM PLINIO aliquanto prius ſcripſiſſe, ſtatuas.

qui Hyoſcyamum botanica ratione curatius diſtinxerit, eiusque generis ac ſpecierum deſcriptionem exhibuerit, DIOSCORIDES fuit *Anazarbenſis*: „Hyoſcyamus, ait *s*), frutex eſt caulibus craſſis; „foliis latis, oblongis, profundius inciſis, (ἐσχισ- „μενα) nigricantibus, hirſutis; floribus una ſerie „deinceps ad caulem naſcentibus. Fructus (ſive ſis „capſulae) punicae mali pericarpiis (κυτινοις) ſi- „miles, in medio diſſepti loculamentis (ἀσπιδισ- „κοις, quaſi ſcutulis), ſeminum, papaveris illis „ſimilium, plenis. Tres autem ſunt ejus ſpecies. „*Una* flores habet ſubpurpureas, folia Smilaci „(aut Taxo, σμιλακι) ſimilia, ſemen *nigrum*, „pericarpia (κυτινοι) dura ac *ſpinoſa*. *Altera* flo- „res habet luteos ſeu ex flavo fuſcos (μηλοειδη); „folia ac capſulas teneriores ſ. glabriores; ſemi- „na ſubflava (ὑποξανθον), quemadmodum Ery- „ſimi. Ambo hae inſaniam ac ſoporem ſuſcitant; „uſumque vix admittunt. *Tertia* vero, utpote „mitiſſima, ad Therapiam admodum utilis. Te- „nera, mollis ac lanuginoſa eſt. Floribus gaudet „albis,

s) *Mater. med.* L. IV. cap. 67. (ed. *Marc. Vergil.*) p. 506. (ed. *Ruell.* et *Matthioli* c. 63.) Textus Dioſcor. gr. initio omnino mutilus eſt, uti jam MATTHIOLVS (*Comment. in Dioſc.* Venet. 1558. p. 530.) ſuſpicatus erat, atque ex SERAPIONIS l. de *med. ſimpl.* c. 330. (ed. O. *Brunfels.* p. 225.) emendandus. Poſt verba enim DIOSC. „παρα δε τον καυλον ἐφεξης πεφυκασι ἀνθη.„ verba „καρπον δε„ (aut ſi ob ſequentia malueris „λοβοι„ i. e. capſulae ſeminales) ſupplenda puto, quemadmodum apud Serapionem quoque, locum *Dioſcor.* ad verbum vertentem, fructus

„albis, femineque pariter albo. Nafcitur ea prope „mare et in locis ruderatis.„

Cum hac Diofcoridis defcriptione multum conveniunt, quae PLINIVS de planta noftra tradit *t*): — „Plura Hyofcyami genera (i. e. fpe-„cies): unum *nigro* femine, floribus paene pur-„pureis, fpinofum. Talis nafcitur in Galatia. „*Vulgare* autem candidius eft et fruticofius, al-„tius papavere. *Tertii* femen Irionis (an idem „quod Eryfimum illud Diofcor.?) femini fimile „et omnia infaniam gignentia, capitisque verti-„gines. *Quartum* genus molle, lanuginofum, „pinguius ceteris, candidi feminis, in maritimis „nafcens: hoc recepere medici. Item rufi femi-„nis *v*). Nonnunquam autem candidum rufefcit, „fi non ematuruit, improbaturque. Et alioqui „nullum, nifi quum inaruerit (i. e. folis vi fupra „maturitatem aridum factum fuerit.„

Quodfi in utraque hac adumbratione botanica *omnia* ad Hyrfcyamum pertinere, de eoque intel-

fructus hic dicuntur. Ita enim fenfus ac ordo verbor. clarus et concinnus fit, et fequentia ὥσπερ ῥοιας κυτινοι etc. quae antea fat male ad flores referenda erant, probe nunc de capfulis intelligenda funt.

t) *Hift. nat.* L. XXV. c. 17. (ed. *Harduin.* T. II. p. 363. 64.) PLINIVM Diofcoridis defcriptionem ante oculos habuiffe fere credideris, modo Plinium Diofcoridis fcripta jamjam cognoviffe, iisque ufum fuiffe, certo probatum effet.

v) Scil. fupplendum: item rufi feminis Hyofcyamum (i. e. antedicti tertii generis illum, quem Diofc. ὑποξανδον nominavit) *medici recepere.*

intelligenda eſſe exiſtimes (ſicut omnes priores interpretes fecerunt), ſane loca explicatu difficillima, auctoresque male pingentes non poteris quin invenias. Utriusque enim ſcriptoris primae Hyoſc. ſpeciei (PLINIIque ſecundae quoque, quae revera non niſi varietas primae eſſe videtur) characteres quosdam, primum puta maximeque pericarpium (ſ. Cytinum) *ſpinoſum*, deinde ſemen *nigrum*, tributos eſſe, qui tamen reapſe in Hyoſc. ſpecierum huc usque cognitarum nulla hodie deprehenduntur, nemo facile non videbit. Ut taceam de viribus nigri Hyoſc. a Dioſcor. ceterisque tamquam venenatiſſimis, horridisque, nullamque plane in medicina uſum tutum admittentibus, deſcriptis. At clara res evadet, crimineque liberabuntur auctores, ubi (de quo mihi quidem vix ullum eſſe videtur dubium) *primam* iſtam ſpeciem, ſive veterum *nigrum* Hyoſc., *Daturae* eſſe ſpeciem, aut *D. Stramonium,* aut D. Datulam, exiſtimemus *w*); ad quod putandum eo facilius adduci mihi videor, quo aptius pericarpium illud ſpinoſum, ſemenque nigrum cum hoc plantae genere convenire, et quo facilius utrumque genus, ſicut alia Solanacea, iſto Botanices rudioris tempore

pore

w) Idem ſuſpicatus quidem erat quoque Doctiſſ. I. E. Ferd. SCHVLZE (*Toxicolog. Veter.* Hal. 1788. p. 64.) attamen iterum dubius de eo haeſit, eundemque H. nigrum veterum etiam H. *reticulato* L. non inepte poſſe comparari, autumat. At hujus H. retic. (a *Reichardio*, neque vero a *Murrayo* recepti) cauliculi quidem ſpinoſi ſunt (ſiquidem is eſt, ac *Bauhini* H. caulic. ſpinoſiſſ.), neque vero *pericarpia*; neque etiam ſemen nigrum eſt.

pore confundi paſſim potuiſſe cenſendum ſit. Eundem errorem circa *putatitium* hunc nigrum Hyoſc. commiſere reliqui omnes antiquitatis ſcriptores, de materia med. aut morbis curandis tradentes, usque ad Arabes; ad quod illorum ſeriores praeſertim eo lubentius adduci ſe paſſi ſunt, quum ipſe magnus eorum dux GALENVS, in cuius fidem ac ſingula fere verba ſequentes plurimi, quorum ſcripta ſuperſunt, iurarunt, eiusdem confuſionis culpae particeps eſſet. — Pariter enim is, ac in materia medica anteceſſores dicti, Hyoſcyamum *ſemine nigro*, floreque ſubpurpureo, pariterque ac alterum Hyoſc. *ſemine ſubflavo*, floreque coloris fere mali punici (*ἀτρέμως μηλίζων*) ob vim deleteriam prorſus fugiendum, in medium profert *x*). *Tertium* vero H. ſemine floribusque candidis, ad medicos uſus maxime proficuum eſſe, addit *).

Neque etiam prius forſan, quam reſtaurationis litterarum tempore, quo etiam Botanices laetior illuceſcere coepit dies, haec de putatitio nigro Hyoſc.

x) GAL. *de ſimpl. med. facult.* L. VIII. (ed. *Charter.* T. XIII. p. 238.)

*) Galenum circa Hyoſc. ſequuntur, partimque exſcribunt ORIBASIVS *Collect. med.* L. XV. (ed. *Raſar.* Venet. p. 627.) cfr. L. XII. ubi Dioſcoridem exſcribit (p. 495.). *de virtut. ſimpl.* L. II. (ed. *Raſar.* Venet. 1558. p. 96.) AETIVS *Tetrabibl. L. I.* (ed. I. *Cornar.* Lugd. 1560. T. I. p. 324. 492.) PAVLVS AEG. *de re med.* L. VII. c. 3. (ed. *Cornar.* Baſ. 1556. p. 303.) idemque I. ACTVARIVS, NICOL. MYREPSVS, rel.

Hyosc, opinio evanuisse, ipsique aptior locus tributus esse videtur. Nam inter Arabes quoque, eandem priscorum illorum de planta hac doctrinam solemnem fuisse, praeter I. SERAPIONEM, Dioscoridis, Galenique verba solummodo repetentem *y*), ex AVICENNAE praesertim de Hyosc. commentario *z*), in quo primum H. niger, flore armeni (al. leg. argiuani) coloris, maxime venenatus, deinde H. flore e rubro citrino, (tum modo administrandus, ubi albus non reperiatur,) demumque H. albus, usui maxime idoneus, memorantur, apparet.

Inter restauratores botanices a CAESALPINO, C. GESNERO reliquisque sequentibus, demum errorem hunc emendatum, verumque nigrum Hyosc. rectius distinctum esse videmus *a*).

Nigrum hunc Hyosc. veterum rarissime in usum med. vocatum fuisse, iam ex eo patet, quod omnes hucusque dicti auctores, ipsius, tanquam venenatissimi, usu sedulo interdixerint. Attamen apud AETIVM *b*) nigri semina unguento somnifero

y) L. m. c. 330. p. 325.

z) EBN. SINAE L. II. Tr. II. c. 357. (ed. c. T. I. p. 320.) Hic primum, ab Hyosc. nigr. (vet.) usu licet abstinendum sit, succum tamen thyrsorum eius quandoque administrari loco opii, dicitur.

a) CAESALPINVS tamen circa H. flav. veter. errasse videtur. (*de Plant.* L. V. c. 19. L. VIII. c. 45.)

b) *Tetrabibl.* L. I. c. 116. (ed. m. T. p. 148.) Nisi hunc verum H. nigrum L. putare malis.

fero admixta invenimus. Itidemque apud IO. ACTVARIVM *) in paſtillo quodam antiquiori ad ulcera veſicae et renum, tam candidi Hyoſc., quam nigri (an *luteus* h. l.?) ſemen receptum deprehendimus. Ex AVICENNA pariter, quae huc ſpectant, antea dixi.

Quae quum ita ſint, facile jam videmus, Hyoſc. *ſecundam* ſpeciem DIOSCORIDIS, GALENI et Galenicorum, *tertiam*que PLINII, ſ. Hyoſc. ſemine luteo, floreque ſubpurpureo, eſſe Hyoſc. *nigrum* LINNEI, *tertiam*que veterum (*quartam* PLINII) ſ. album, noſtratum quoque eſſe Hyoſc. album. Huius tamen loco interdum H. *aureus* L., in Creta frequenter naſcens, praeſertim a Romanis adhibitus eſſe videtur; uti ex loco apud GALENVM infra dicendo coniici poteſt.

Poſtremum hunc album, ceterorum longe maxime in medicina uſurpari conſuevere, huiusque uſum nominatim praecepere veteres, utpote mitiſſimum, tutiſſimumque eum exiſtimantes; adpoſito ſaepius (ut ex permultis locis apud GALENVM, AETIVM, PAVLUM etc. patet) cognomine *albi*, adhuc frequentius vero hoc omiſſo, quod ubi factum, ſemper H. albus (alterum enim ſtudioſe epitheto ſuo diſtinxerunt) intelligendus. Qui apud Byzantinos med. aliquoties invenitur H. *viridis*, non niſi H. albus *recens* eſſe videtur.

*) *Opp.* T. III. *de medic. comp.* (ed. lat. Lugd. 1556. p. 74.)

Attamen H. *nigri* noſtratum interdum uſum in medicina a veteribus factum fuiſſe, ex eorum ſcriptis patet. Sic enim DIOSCOR. (l. m.), ſi albi adhibendi nulla ſit occaſio, flavo (nigro L.) utendum eſſe, ait. Tum ab AETIO quoque, ad glaucorum oculorum pupillas nigras reddendas, flores caerulei Hyoſcyami (i. e. Hyoſc. flore ſubpurpureo) cum vino triti oculis inſtillandi, — aut eiusdem Hyoſc. ſuccus, aut flos caeruleus in umbra ſiccatus, poſteaque tum vino digeſtus, tum ſolus, oculis illiniendus, praecipiuntur *c*). Idemque a ſerioribus, et inter Arabes ab AVIZENNA (l. c.), ſi albi H. nulla ſit copia, ſubſtituitur. A GALENO tamen (l. m.), tanquam anceps, deleteriorque, pariterque fere fugiendus ac Hyoſc. ſemine nigro, cui viribus propinquus ſit, damnatus, aegre ſcilicet in fidelium magni illius centurionis pediſſequorum gratiam redire potuit.

In *viribus medicis* Hyoſcyamo tribuendis veteres ad unum omnes fere conſentiunt; lutei (nigri) multo fortiores eſſe, ac albi, unanimiter profitentes. CELSVS iam inter pharmaca *reprimentia* (i. e. ſedantia et anodyna) atque refrigerantia *d*), alioque loco *e*) inter *ſomnifera* aut *ſopientia* eum refert. Prolixius at parum ordinate plantae huius virtutes, ſive effectus potius, enarrat

c) *Tetrabil.* II. l. II. (ed. c. T. II. p. 447. 48.)

d) *de Medic.* L. II. c. 33. (ed. *Targae*, p. 86.)

e) L. III. c. 18. p. 119. „Quidam ſomnum moliuntur, potui dando aquam, in qua Papaver aut Hyoſcyamus decoctus fuit.„

enarrat DIOSCORIDES (loc. m.), ex quibus collatis, ut *anodynum* admodum efficax ab ipſo, ſicut multo iam prius, conſideratum fuiſſe H., videmus. Vini naturam H. eſſe, ideoque mentem caputque eum infeſtare, PLINIVS ait, pharmaco huic ipſe non favens *f*). Stabilivit deinde auctoritate ſua poſteriſque pie recoquendas reliquit GALENVS H. vires, *luteum* quidem ſoporem ac inſaniam ciere *g*), ceterum vero eſſe H. (hic album potiſſimum exiſtimes) *anodynum* et *hypnoticum h*), idemque *narcoticum* ſ. ſtupefacientem, unaque refrigerantem ſanguinemque ſpiſſantem et coagulantem *i*), praetereaque in tertio gradu frigidum ac ſiccum, effatus. Eadem fere repetita inveniuntur apud poſteriorum ſaeculorum ſcriptores, Galenum ſequentes *k*), Arabes quoque

f) L. XXV. c. 17.

g) GALEN *de ſimpl. facult.* L. VIII. (T. XIII. p. 238.)

h) *de ſimpl. fac.* V. c. 19. (p. 134.) Hic tamen ſemen (tantummodo ratione ſiccandi facultatis puto, huic abnegatae) exhibitur, attamen album nigro praeſtare additur.

i) *Method. med.* L. XII. c. 8. (T. X. p. 290.)

k) Ita apud ALEXANDR. TRALL (L. X. ed. I. *Molinaei*, Lugd. 1575. p. 571.) „ medicamenta narcotica, quae ex opio et hyoſcyamo parantur, non temere propinanda ſunt etc. „ ſcribitur. Monere hic ſimul liceat, ALEXANDRVM poſt GALENVM praecipuum fuiſſe, qui pluribus locis abuſum narcoticorum et anodynorum, ſuo tempore multoque iam prius nimis divulgatum, ſeverius impugnaverit, morboſque et alias res, illorum uſum prohi-

que *), usque ad Latinobarbaros. Quas inter Hyoſc. virtutes maxime apud priſcos celebrata atque in uſum vocata eſt anodyna, ut ex frequenti illius adverſus omnis fere generis dolores uſu patet, et praeter eam narcotica ſ. ſoporifera. Hinc factum, ut diutiſſime iam ante Galenum *Opio* aeque ac Mandragorae ac Solano vulg. (nigro?) ratione illarum virium Hyoſcyamum, eiusque ſuccum imprimis, ſimillimum aeſtimarent, cum illoque ſaepiſſime coniungerent, ut ex innumeris locis apud CELSVM, GALENVM imprimis, ſerioresque medicamentarios elucet; quin tum, quum dolores potiſſimum ſedandi, quiesque aut ſomnus ciendi erant, ipſi opio (cuius ceterum ſumma erat dignitas, latiorque multo adhuc uſus, ſiquidem id frequentius quoque ad vehementiores motus ſpasmosque ſedandos, immo interdum vel ad motus ſenſusque languidiores excitandos, noſtratum in morem, adhiberetur), ut videtur, nonnunquam anteferrent. De viribus Hyoſc. antiſpasmodicis rectius explorandis experiundisque minus ſolliciti erant veteres, licet eaedem non omnino incognitae ipſis fuiſſe videntur, uti ex uſu H. in tuſſi arida pertinaci et phthiſica, atque in tetano (in

prohibentes (p. 34. 66. 137. 441. 571.) accuratius definiret. Idem poſtea PAVL. AEG. (L. III. c. 78. ed. *Cornar.* p. 145.) Antea tamen GALENVS quoque de narcoticorum abuſu plura monuerat (*de compoſ. med. ſec. loc.* L. VII. c. 6. VIII. c. 3. et al. loc.).

*) Copioſe imprimis, maxime licet ad Graecor. mentem, de viribus H. diſſerit EBN SINA l. m. Fluxum ſanguinis cohibere, ſanguinem coagulando, addit.

(in eo rariſſime licet adhibiti) apparere puto. Denique foliis ſuccoque Hyoſc. vis quoque tributa eſt capillorum colorandorum *l*), quin ipſius oculi pupillae nigro tingendae colore *m*). Ut de ſtultis Magorum et Aegyptiorum circa vires Hyoſc. ſympathicas occultasve commentis taceam *n*).

Ex hisce iamiam, qualis inter veteres fuerit *uſus* Hyoſcyami adverſus ſingulos morbos, facilius intelligi poterit. — Ut autem prius de *modo*, quo pharmaco hoc uti ſolebant, quaedam proferam, Hyoſcyami tam ſimplices partes, quam praeparatae ex eo atque compoſitae cum aliis ſimplicibus medicinae innumerae fere, (eaeque frequentius illis) in aegrotorum medelam vocabantur. Ex ſimplicibus partibus primum dicendum eſt *ſemen*, utpote cuius uſus prae reliquis frequentiſſimus, et, ut ſane videtur, antiquiſſimus fuit. Exhibere ſemen ſolebant variis modis: 1) ſicci pulverem (antiquiſſimus, iuxta folia, modus) ſive ſolum cum vino, aut aqua, ſive vino aut mulſo, aut oleo maceratum *o*), ſive pilulis, paſtillis, electuariis rel. admixtum, tam interne (ut aiunt), ubi quidem doſi omnium parciſſima, grani

 unius

l) ORIBASIVS *ad Eunap.* l. IV. c. 8. (ed. *Raſar.* lat. p. 175)

m) GALEN. T. XIII. p. 435. AETIVS *Tetr.* L. VII. c. 41. (T. II. p. 447.)

n) Ridiculum valde eiusmodi ſympathicum (ſ. naturale) remedium ex Hyoſcyamo legere non pigebit apud ALEXANDR. TRALL. L. X. p. 645.

o) PLIN. et DIOSC. l. m. Praeterea numeroſis loc. apud reliquos ſcriptor. cit.

unius *p*), paucorumve, ad summum vix plus quam oboli (scrup. dimidii), pondere *q*) datum, quam externo corpori applicatum, oleo maceratum, aut in unguentis, emplastris &c. 2) Propinata quoque est cum semine cocta aqua aut mulsa. 3) Succus e semine recenti tenello, una cum herba, expressus. (De quo statim postea.) 4) Succus ex seminibus siccis, adfusa aqua calida, expressus *r*). Uterque tam solus, quam compositis pharmacis iunctus, adhibitus. Posterior non adeo multum differre videtur ab 5) oleo seminis H., cuius parationem DIOSCORIDES ita describit *s*): „Sume Hyosc. semina alba, recentia, siccata; contusa ac expressa (ut de amygdalino oleo ibid. c. 21. pluribus dictum) aqua calida macera, solis deinde calori expone, supra natantes arescentes particulas perpetuo massae immiscendo, usque dum ea nigrescat, odoremque ingratum spiret.„ Impurum

p) HIPPOCRAT. de morb. II, 39. (ed. *Lind.* T. II. p. 65.) CAEL. AVREL. *acut.* III. (p. 263.) — Tria grana saepius, et quatuor quoque pro dosi occurrunt.

q) DIOSCOR. l. m. Hac dosi H. semen in aqua mellita, addito semine papaveris bibi, ait. At apozema potius e semine cum melicrate h. l. intelligere mallem. Attamen apud GALENVM quoque (*Compos. med. sec. loc.* VII, 3. T. XIII. p. 543.) bolus e sem. Hyosc. et opio ἀνὰ cum melle formatus pondere scrupl. integri, noctu sumendus, praescribitur.

r) DIOSC. et PLIN. l. l. m. Praeterea in variis compositionibus apud GALEN. reliquosque. Memoratur quoque ab AETIO (*Tetr.* I. II. c. 80.) IO. ACTVAR. (T. III. p. 241.) aliisque.

s) L. I. c. 63. (ed. m. p. 60.)

rum itaque hoc oleum fuit neque blandum prorſus, ſuccusque magis oleoſus. Id tamen apud antiquiſſimos iam, aeque ac apud poſteros fere omnes, externo corpori admotum, uſu frequens fuit, tam ſolum, quam unguentis, linimentis, emplaſtris, peſſis, additum. Utebantur eo tanquam emolliente, ac anodyno (nervis inutile dicit PLINIVS T. II. p. 310.). — *Herba* Hyoſc., unde: 1) Folia recentia, locis dolentibus, inflammatis, tumoribus, immo et ulceribus impoſita; antiquiſſimus mos. 2) Eadem cum aqua aut vino aut ovi vitello *t*), cocta, oreque ingeſta, ad ſummum numero quatuor *v*), externe quoque adhibita, fomenti loco, aut in clyſteribus (AVICENNA l. m.). 3) Eadem recenter contuſa, aut ſicca, tritici farina addita, in paſtillos formata, oreque ſumta; aut ſicca pulvinaribus ſopiendi cauſa indita (AETIVS Tetr. I. Tom. I. p. 147.). 4) *Succus* ex tota herba recenti, una cum ſeminibus teneribus *w*), aut etiam ex ſola herba cauleque contuſis *x*) expreſſus. Succus hic, tum forſan recens expreſſus (quod tamen certo adfirmare non poſſum), tum potiſſimum *ſolis calore ſiccatus*, uſuique in officinis ſervatus *y*), propinabatur. Unde iamiam antiquiſ-

t) CELSVS l. VI. p. 294.

v) Plura enim mentem corrumpere PLIN. ait (T. II. p. 364.)

w) DIOSCOR. PLIN. l. m.

x) PLIN. l. c.

y) Neque tamen *ultra annum* (pariter ac apud nos extractum) ſervandum eſſe, δια το ἐυσηπτειν, DIOSCOR. monet.

quiſſimis temporibus z) *extractum* Hyoſcyami, parum certe a noſtro differens, paratum, frequentiusque multo, quam apud nos fieri ſolet (ſaepiſſime enim a veteribus, Empiricis inprimis, praeſcribitur, innumerisque ineſt eorum ac poſterum medicinis), ſaepius licet perverſa plane damnandaque methodo ac ratione, adminiſtratum fuiſſe, apparet. Ne tamen quis eo, quod extracti huius inventionem antiquo illi aevo hic vindicaverim, nupero uſus illius reſtauratori, Perill. STOERCKIO, meritae gloriae quid detrahere me voluiſſe, exiſtimet, quum potius Ipſius, tanquam alterius inventoris, merita circa eximiam adeo in noſtrorum medicorum manibus medicinam ea vetuſtorum illorum perquam multum ſuperare, grata mente largiar. — Succum illum, ſiveſis extractum Hyoſc., tum ſolum merumque a), aut cum aqua aut vino aut melicrate etc. dilutum, tam interne, quam externe, tum cum aliis ſimilibus et diſſimilibus, opio, mandragora, cicuta, ſolanis, croco, aſa, caſtoreo, quin adeo haud raro cum condimentis et exaeſtuantibus medicinis, ſat inepto ſaepius modo, in paſtillos, pilulas, antidotos (quas frequenter ingreditur), collyria, linimenta etc. commixtum, tam ore hauriendum, quam

z) Secundo certe ſaeculo *ante* Chr. ſuccum hunc inſpiſſatum in uſu fuiſſe, ex medicorum illo circiter aevo florentium, APOLLONII, HERAE Capp., ASCLEPIADIS etc. pluribus compoſitionibus, apud GALENVM exſtantibus, patet.

a) CELSVS L. VI. (p. 311.) externe. GALEN. *de med. comp. ſ. l.* L. III. (p. 401.), ſucco roſaceo admixto; idem L. IV. (p. 435.); idem AETIVS T. II. (p. 618.)

quam extrinſecus, dare ſolebant. Doſis ſucci, ore ſumti, plerumque ſeminis eam aequabat, nonnunquam, in compoſitis praeſertim, hanc multum ſuperabat. — *Flores* H. rarius et plerumque externe adhibiti fuiſſe videntur *b*). — Denique *Corticem* quoque H. (radicis corticem puta) apud CELSVM *c*), AETIVM *d*) et AVIZENNAM commendatum invenio.

Compoſitiones medicaminum in officinis veterum, quibus Hyoſcyamus, maximeque eius ſemen, et poſt id ſuccus, additus fuit, numeroſiſſimae ſunt. Fatendum interea, eorum eſſe plures, haud raro ex ſexcentis rebus ſat inepta, quin nulla, ſaepius ratione commiſtis, in quibus difficile ſane foret iudicatu, quid efficaciae quantumve auxilii contra hunc illumve morbum Hyoſcyami copiae admixtae tribuendum ſit. Plurimorum ex illis compoſitis modo dictis inventio ſectae empiricae medicis, paucorum aliis, Dogmaticis, Methodicis etc. tribuenda erit. — Nominantur tanquam inventores *Heraclides Tarent.*, *Heras*, *Anton. Muſa*, *Apollonius*, prae-

b) GALEN. libr. m. IV, 8. AET. *Tetr.* T. II. (p. 447. 48.) Apud ALEXANDR. TRALL. L. XII. (p. 750.) internus quoque flor. H. uſus adverſus febres quartanas memoratur.

c) L. V. (p. 211.) In SCRIBON. LARG. c. 22. (p. 59.) In una eademque compoſitione alterci albi ſemen et Apollinaris herb. radicis corticem reperio, unde hic certe Apollinarem minorem ſ. Solanum ſomniferum (Phyſalis ſomnifera L. ?) intelligendam eſſe colligo. Cfr. c. 24. (p. 69.) c. 28. (p. 74.), ubi eadem Apollinaris.

d) *Tetrab.* II. l. 4. (T. II. p. 661.)

praefertim *Afclepiades*, *Andromachus* fenior, *Archigenes* aliique.

Vix tamen prius vel antiquiffimae iftarum compofitionum inventae videntur, quam faeculo primo poft HIPPOCRATEM, fiquidem in huius viri genuinis fcriptis pharmacon nullum cum Hyofc. compofitum inveniatur. Pariterque eorumdem pauciora tantum poft GALENI demum tempora denuo concinnata effe inde mihi perfuadeo, quod pleraque eorum, quae apud feriores medicos occurrunt, aut GALENI operibus iam contineantur, aut antiquitatis notas prae fe ferant. Ad ipfa vero haec, quibus Hyofc. admixtum deprehendimus, pharmaca pertinent multa antidota atque electuaria (e. gr. Philonis), catapotia, paftilli, collyria, unguenta, emplaftra, acopa etc., de quibus, fi plura legere libeat, evolvas praefertim GALENI ll. *de compof. med. fec. locos*, I. ACTVARIVM (T. III.) et NICOL. MYREPSVM, itidemque medicos Arabes antea nominatos.

Addam ex GALENO *e*), Romanos faltem praeter Hyofc. in patria terra nafcentem, *Cretico* quoque, fingulis annis e Creta Romam apportato, uti confueviffe; unde fufpicioni fupra prolatae, forfan *aureum* faepius cum albo commutatum fuiffe, argumenti quid accedere videtur.

Supereft, ut praecipuos *morbos*, adverfus quos medicinae ex Hyofcyamo frequentius inter veteres adhiberi folebant, breviter recenfeam.

Primo

e) *de Compof. med. fec. gen.* L. I. c. 4. (T. XIII. p. 647.)

Primo loco dicam *Febres* varias, maximeque *intermittentes*, propterea quod, nisi ipse Hyoscyami usus in iis antiquissimus fuerit, antiquissimum certe primumque, quod litteris mandatum novimus (iuxta alterum, postea nominandum), illae exhibeant Hyoscyami in medicinam vocati exemplum, in *Hippocratico* libro de *Morbis* II. *f*) obvium. — Praescribitur ibi contra *f. quartanas* Hyosc. semen, milii granuli magnitudine, cum mandragora et asa odorata in vino. Foliorum Hyoscyami usum in vino contra febres vetustum nominat iamiam PLINIVS *g*). Folia tria ad quatuor pota adversus febres ἠπιάλους (cum multo horrore) laudat DIOSCORIDES *h*). Apud GALENVM *i*) quoque *Andromachi* Archiatri, *Pamphili* et *Darii* varias compositas medicinas cum semine Hyoscyami adversus febres et tussim notatas invenimus. Pariterque apud Aetium *k*) contra quartanas, semen in electuario. Usus hic in febr. praecipue Hyoscyami creditae refrigerandi vi tribuendus esse videtur. 2) His statim adiungam *Tetanum*. Hyoscyami enim contra hunc quidem usus unum tantum, at aeque sane antiquissimum, ac prius, exem-

f) Sect. 39. (HIPP. Opp. ed. *Lind.* T. II. p. 65.) Qui liber etsi non ipsius HIPPOCRATIS sit, certe tamen vix serius seculo post eius obitum scriptus esse videtur.

g) *Histor. natur.* L. XXV. c. 17.

h) Loco saepius m.

i) *de Med. comp. sec. loc.* L. VII. (T. XIII. p. 543.)

k) *Tetr.* L. V. c. 87. (vers. lat. T. II. p. 102.) cfr. NICOL. MYREPSI Dispensator. med. (ed. *Beyer.* Frcfrt. 1626.) p. 727.

exemplum invenio in alio *Hippocratico* libro, *de internis adfectionibus l*) (semen cum vino et oleo calefactis externe illitum). Posteriores hanc medelam omisisse videntur. 3) *Pervigilium febrile*, et *Agrypnia* in genere. — Hyosc. decocti usum internum tradit CELSUS *m*); externum semin. et fol. in unguento, fronti et naribus illiniendo, itemque pulvinariorum, herba H. impletorum, AETIUS *n*); itemque epithematorum cum succo herbae H. et semine, fronti imponendorum, atque spongiae somniferae NIC. MYREPSUS *o*). 4) *Dolores* in universum, praesertim interni, omnis generis, omnisque fere loci. Ad hos sedandos usus H. internus, seminis maxime, admodum frequens fuit. Commendant eum CELSUS *p*), DIOSCORIDES (l. m.; folior. quoque succum) et medici plures antiquiores apud GALENUM *q*). In *capitis* dolore tamen

l) S. 59. (T. II. p. 266.)

m) L. III. c. 18. (p. 119.) NIC. MYREPS. (p. 727. 731. etc.)

n) *Tetr.* L. V. c. 115. (T. II. p. 147. 48.)

o) L. m. (p. 774. 75. 76.) *Spongia* ista *somnifera* parabatur secundum NICOLAUM e succis Hyosc., mandrag., lactucae, solani, camphora, et opio, quibus spongia nova penitus implebatur. Tum spongia linteo tecta, in aestu caniculari suspensa est, ut exsiccaretur. Recondita deinde, usu postulante data est. „Confestim enim somnum accersit," addit NICOLAUS.

p) L. V. c. 25. (p. 229.) „anodynis uti, nisi nimia necessitas urget, alienum esse„ C. addit.

q) *Med. comp. sec. l.* L. VII. (p. 550. 51. „Mysterium dolores sedans," quod ORIBAS. (ad *Eunap.* IV.)

tamen rariſſime. In ſolo AETIO (T. II. p. 146.) folia H. viridia contra eum invenio. 5) *Oculorum morbi* varii, imprimis vero *ophthalmiae* acutae chronicaeque, praeſertim ob *dolores* inde oriundos, itemque *epiphorae*, *lippitudines* etc. Uſus H. externus contra hos morbos antiquus fuit ac perfrequens; praeſertim in collyriis, plerumque cum mandragora et opio. Tradunt eum CELSVS (L. VI. p. 294. fol. H. cum vitello ovi cocta), DIOSCORID. (l. m. ſuccus in collyr.), GALENVS *r*), AETIVS *s*), ALEXANDER TRALL. *t*), AVIZENNA *), MESVE **). 6) *Aurium morbi* complures, praeſertim aur. *inflammatio*, *ſuppuratio*, *dolores* etc. Adverſus haec Hyo-

IV.) quoque habet. p. 552. 55. Tum complures Pilul., Confect., Paſtill. etc. — GALENVS ipſe anodyna et ſoporifera (Hyoſc. quoque nominat) minime amavit, „ſeque ab eorum uſu *omnium maxime abſtinere*, et non niſi in vehementiſſimis doloribus colicis aut ocul. auriumque ea porrigere,“ ipſe profeſſus eſt. (*Method. med.* L. XII. c. 1. T. X. p. 275. cfr. *de m. c. ſec. loc.* III. 1.)

r) *Sec. loc.* IV. p. 437. (ſemen, *Glauconis* inventum). p. 445. (ſuccus). p. 454. (folia c. ovi vitello, *Archigenis*). cfr. de *remed. parab.* c. 1. (T. X. p. 585.)

s) *Tetr.* L. VII. (T. II. p. 413. 519. 521. 539. 567. 573.) folia, ſuccus etc.

t) L. II. p. 175. (Ad *Aegilopas*, folia) Ceterum monet ALEX. contra improvidum uſum narcoticor. in collyriis (p. 137).

*) l. saepius c. (Hic *roob* Hyoſc. quoque memoratur.)

**) MESVE *Compend. ſecret. medic.* L. II. (Opp. ed. *Coſtaei*, Ven. 1623. fol. p. 216. ſq.)

Hyoſcyami, ſucci imprimis, tum olei quoque, aeque frequens fuit apud veteres applicatio *v*). 7) *Dentium dolores* et *caries*, itemque *gingivarum inflammatio.* Ad haec mala Hyoſc. uſus externus olim creberrimus fuit, radicis maxime, aceto, aut mulſo, aut aqua coctae, tum etiam ſeminis et ſucci. Commendatur haec medicina a pluri. mis antiquis medicis *w*). Suffitus quoque dentium dolentium e Hyoſc. ſeminibus combuſtis ſaepius adhibiti ſunt, ut e GALENO, SCRIBONIO LARGO, et AETIO comperimus. Qui ſuffiendi dentis cum Hyoſc. mos diutiſſime ſervatus eſt, et adhuc paſſim inter colonos exercetur. 8) *Tuſſis*, tam *humida*, quam *ſicca*, et *ſpasmodica*, itemque *catarrhalis* ac *phthiſica*, quin ipſa *phthiſis*, aeque ac *catar-*

v) CELSVS, VI, 7. (p. 311. ſuccus H. inſtill.) DIOSCORID. l. m., PLINIVS H. N. XXV, 17, (Oleum H. auri infuſ „tentat mentem"), GALEN. L. III. p. 401. (ſuccus, *Aſclepiadis*). p. 409, (ſuccus ad tinnitum, *Critonis*) AETIVS L. VI. (T. II. p. 345. Oleum). L. V. (p. 120. 154.) IO. ACTVAR. (T. III. p. 241. Ol. H.). LVC. APVL. c. 4. p. 102. AVIZENNA l. c. (Oleum quoque). MESVE l. m. p. 228. ſq.

w) CELSVS VI, 9. (p. 317.) DIOSCORID. l. m. SCRIBON. L RG. c. 10. p. 41.) PLIN. XXV. (p. 385.) GALEN. *ſec. loc.* V. (p. 474. ſem. et fol. c. aceto, *Archigenis*. p. 476. Hyoſc. dente dolente mordendus, *Archigenis*. p. 479. extract. H. denti eroſo immittend., *Aſclepiadis*,. IDEM *de rem. par. I.* (T. X. p. 589.) CAEL. AVREL. *Diuturn.* II, 4. (p. 371.), AETIVS L. VI. (T. II. p. 618. 656. 661.) PAVLVS AEG. III, 16. (p. 95. vapores decocti per infundib.) LVC. APVL. c. 4. (p. 102.) AVIZENNA l. m. MESVE (p. 228. ſq.)

catarrhus. Hyoſcyami uſus internus adverſus haec, maximeque tuſſim variae indolis, creberrimus fuit, ita ut ſcriptorum veterum pauci ſint, qui non Hyoſcyamo mixta remedia contra illam tradiderint. Potiſſimum ſemen dari ſolebat, in paſtillis, catapotiis, confectionibus, decoctionibus etc. Praeter DIOSCORID. (l. m.) PLINIVM *x*), et SCRIB. LARG. *y*) evoluas imprimis GALENVM *z*), numeroſas antiquiorum, *Aſclepiadis*, *Anton. Muſae*, *Apollonii*, *Andromachi* etc. cum Hyoſc. compoſitas medicinas, ſaepius licet perverſiſſima methodo mixtas, exhibentem; tum AETIVM *a*), ALEXANDR. TRALL. *b*), PAVLVM *c*), PLINIVM VALERIANVM *d*). Quin immo apud nonnullos ſeriores contra dolores *pleuriticorum* Hyoſc. praeſcriptum invenimus.

9) *Hae-*

x) L. XXVI. (p. 394. ſuccus).

y) c. 22. (p. 58. 59. 61.).

z) *Sec. loc.* L. VII. (p. 541. 543. 544. plures. 554. 555.)

a) *Tetr.* L. VIII. (T. II. p. 765. ſq. p. 822.). Ex *Aetio* (p. 766.) origo nominis *Symphoniacae* (vid. ſupra) apte explicanda videtur. Nam humidas, ait, tuſſes, et ob humoris craſſitudinem diu durantes, vocari *Symphonos.*

b) L. V. (p. 260. 61.).

c) L. III. 28. (p. 99.)

d) *de re med.* (ed. *Alb. Torin.*) p. 31. 32. cfr. AVIZENNA, l. m. et L. III. fen 10. tr. 3. (p. 634.) MESVE. l. m. et L. I. p. 809.

9) *Haemorrhagiae* variae *e)* imprimis *Haemoptoe f)*, tum etiam (rarius) *Haemorrh. oris* (ALEX. TRALL. p. 305.), *Haem. uteri*, aut potius nimius menſium fluxus g), *Haemorrhoides h)*. Ad utrumque malorum genus (8. et 9.) Hyoſcyamum praecipue ob vim tum refrigerantem tum coagulantem creditam propinaſſe videntur. 10) *Dyſenteria* et *Colica* (ob dolores in utroque morbo). Crebro in his H. datus, haud raro intempeſtive et imprudenter. Habent cum eo compoſita GALENVS *i)*, CAEL. AVREL. (ad choleram *k*), ALEX. TRALL. *l)*, PLIN. VALERIAN. *m)*, AVIZENNA, MESVE etc. Interdum

e) CAEL. AVREL. Chron. II. 13. (p. 402. externe linteola complicata, ſucco H. irrigata, impon. — p. 403. ſuccus H. interne).

f) SCRIBON. LARG. p. 59., GALEN. L. VII. p. 546. 47. 48. 49. (*Aſclep.*, *Androm.*) AVIZENNA, p. 320. 338. 39.

g) DIOSCOR. l. m. (ſemen), GALEN. L. VII. p. 544. AVIZENNA l. m.

h) ORIBAS. *ad Eunap.* IV, c. 95. (p. 224.) AETIVS L. XIV. c. 6. (T. IV. p. 228.) ſuccus H. cum cicuta et alumine in cerato.

i) L. IX. ad *colicam* p. 611. 13. (ſuccus), ad *dyſent.* p. 615. 17. 19.

k) *Acut.* III, 21. p. 263. (*Heraclid. Tar.*) H. ſem. c. opio.

l) L. VII. p. 443. 465. Id. L. X. p. 565. clysmata e ſem. H., in Colic. Alio loco (p. 441.). *Alexander* medicos reprehendit, qui ſtatim ſub initium dyſenteriae remedia ex opio aut hyoſc. dare conſueverint.

m) L. II. p. 48. 52.

terdum etiam in *dolore* aliisque morbis *ventriculi*, neque non in *hepatis dolore* et *inflammatione* n) H. exhibitus. 11) *Arthritis*, *podagra*, aliique dolores *rheumatici*. Antiquissima contra hos morb. creberrimaque e H. medela. Usus plerumque fuit externus tam folior., quam radicis et seminis, rarius succi, in cataplasm., unguentis etc. Tradunt eum CELSVS o), DIOSCORID. (l. in.), PLINIVS p), GALENVS q), CAEL. AVREL. r), LVC. APVL., EBN SINA etc. 12) *Nephritis* aliique *renum* et *vesicae* morbi cum dolore, itemque *dysuria*. Habent medicinas cum H. internas SCRIBON. LARGVS (p. 85.), GALENVS (p. 627. sq.), AETIVS, ACTVAR., AVIZENNA, MESVE aliique. — Praeter memoratos hos morbos, Hyoscyamus (praesertim herba eius contusa, succusque) in variis *morbis* quoque, quos vocant, *chirurgicis* haud raro adhibitus; praesertim in *tumoribus* (GALENVS, ORIBASIVS, L. APVL.); *testium tumore et duritie* (s. sarcocele), itemque in eorum scrotique *inflammatione* (PLINIVS, DIOSCOR., AVIZENNA) *genitalium muliebr.* vitiis (DIOSCOR.); *mammarum excoriatione*, itemque *tumore* (SEREN. SAMMON., DIOSCORID., AVIZENNA); *furunculis*, aliisque *pustulis* (SEREN.

n) PAVLVS III. 46. (p. 120.) APVL.

o) L. V. p. 211.

p) L. XXVI. (T. II. p. 406.)

q) L. X. p. 637. Succus *interne* in podagra, p. 638.

r) *Chron.* V. 2. p. 654. — Contra diuturniorem usum narcoticor. in dolorib. arthrit. PAVLVS, (III. p. 145.) exinde diuturnas *motus* difficultates, s. debilitatem, produci, monet.

(SEREN. SAMMON., AETIVS, AVIZENNA); denique in *offium carie* (AVIZENNA) s). — Videmus inde, ufum Hyofcyami inter veteres fuiffe admodum multiplicem ac frequentem, at haud raram quoque eius recte commodeque inftituendi, diftinguendi, moderandique imperitiam.

Tanquam *fuccedaneum* Hyofcyami medicamentum (at, opinor, non nifi ratione refrigerandi virtutis) apud GALENVM (*de fuccedan. med.*) et PAVLVM *Cynosbati* femen et fructus nominantur.

* * *

Venenum effe Hyofcyamum, idque vehemens ancepsque, antiquiffimis iamiam temporibus notiffimum erat, adeo ut iam apud *Pherecratem* quendam Tragicum vox *ὑοσκυαμᾶν* (delirare) occurrat *t*). Nigrum tamen (f. luteum) Hyofc. atrocius effe venenum, albo, inter veteres omnes aeque convenit. Tam folia H. quam femen et fuccus, quin oleum (fucco inquinatum) quoque pro venenis habita. In rationem, qua noxios adeo, ac ftatim dicentur, effectus H. prodat, GALENVS primus, quantum fcimus, inquirens, haud inepte, animantium corpora e H. aeque ac ex Opio et Mandragora, *mortificationis* (*νεκρώσεος*) fpeciem pati, caufis i. e. organis, dolorem continentibus (i. e. nervis) infenfibilibus factis *v*), ait. Nihil aliud igitur

s) Ineft quoque H. femen antidoto APVL. CELSI contra *hydrophobiam* (SCRIB. LARG. c. 43.), at fat inepte cum cinnamomo, pipere, caffia etc. mixt.

t) SUIDAS in *Lexic.*, fub hac voce.

v) *Sec. loc.* VIII. p. 527.

igitur, quam destructionem sensibilitatis, quam dicunt, nervor. eo indicari apparet. Similiter ALEX. TR., periculosissima esse, ait *), narcotica, propterea quod *vires prosternant, reddantque emortuas.* — *Effectus* Hyosc. venenatos varios notarunt veteres, quos inter tamquam maxime insignes frequentissimeque produci soliti describuntur *mentis turbationes* et *alienationes* (*παρακοπη, παραφροσυνη*), deliria, non ita furiosa quidem, at (in quo plurimi conveniunt) *ebrietati* similia, *rixis* et membrorum iactatione iuncta *w*). Praeterea

*) L. VI. p. 284.

w) DIOSCOR. l. m. et L. VI. (*de deleter. pharm.*) c. 15. p. 714. PLIN. XXV. 17. XXIII. 49. (Oleum H. potum). Omnium vero optime descriptos venenatos H. effectus invenimus apud SCRIB. LARG. (c. 49. p. 101.) et AETIVM (L. XIII. c. 67. T. IV. p. 78.). *Ille* quidem, „Altercum, inquit, qui biberunt, caput grave venisque distentum habent, mente abalienabuntur, cum quadam verborum altercatione; inde enim hoc nomen herba trahit altercum; postea sopiuntur, et omni sensu carent, livescentibus membris eorum.„ *Hic*, „Hyoscyamus, ait, sumtus delirium, quale ebriorum, excitat, cum iactatione (ῥιπτασμῳ) et distortione corporis, atque animi defectum (ἐκλυσις) lypothymiae similem. Sequitur oculorum rubor [**και κατα τα αἰδοια και ταυρον** (perinaeum) **κνησμος** (pruritus), **και δηξεις οὐλων** (gingiv. erosio). Haec verba ab interpr. CORNARIO omissa, e graeco codice (vid. SCHNEIDER *animadv.* ad NICANDR. ALEX. (p. 214.) addo.-]; „initioque pruritus, postea lassitudo. Delirant etiam, corpusque suum ab aliquo flagellis feriri putant.„

terea *sopor* gravior *x*), *gingivarum* tumor et pruritus *y*), apud AVIZENNAM denique *memoriae* destructio, vertigo, surditas, convulsio, cum suffocatione etc.

Quorum virium ac effectuum frequentius (forsan per pharmaci abusum quoque) observatorum per metum mos quoque, quem hominum Hyoscyamum ac opium *colligentium* fuisse AELIANVS *z*) tradit, ortus esse videtur, radices H. non ipsis manibus evellere, sed *volucris* alicuius cruri alteri Hyoscyami plantam alligare, ita ut avis motibus planta evelleretur. Vix tamen omnium rhizotomorum hunc fuisse morem, existimandum.

Remedia, quibus tamquam antidotis adversus Hyoscyami venenum uti solebant veteres, plura fuere. Imprimis tamquam optimum usitatissimumque unanimiter a scriptor. (NICANDRO, CELSO, LARGO, DIOSCOR., PLINIO, GALENO, AETIO, PAVLO, ACTVARIO, AVIZENNA etc.) laudatur *lac*, maximeque asininum. Tum *mulsum* (fervens), *Urticae* semina et herba, *Raphani* sem., *Allium* et *Cepa*, *Cichorium*, semina *Sinapis*, *Foeni graeci* (cum oleo NICANDR.), *Cucumeris*, *Nastur-*

x) Praeter SCRIBON. vid. CAEL. AVREL. *Acut.* II, 4. "opprimuntur gravatione horribili (al. sorbili) sopori simili" postea, "altercum bibentibus *pulsus rarus*, sed *plenior* fit, addit."

y) NICANDR. *Alexiph.* vers. 421. (ed. SCHNEIDER. 1792. p. 18.).

z) *De animal. nat.* L. X. c. 32.

Nasturtii, *Portulacae*, *Ficus decocta*, *Vinum salsum*, *Nitrum* (Dioscor.).

Tantum de Hyosc. antiquitatibus. De posterioribus usus eius satis hoc solum addam, post Arabum tempora (quibus H. usus iam decrescere coepit), et inter medicos Arabistas etc. sensim plantae nostrae usum internum magis magisque obsoleuisse, idque maxime ob venenatarum virium metum, tandemque adeo inter vulgus medicorum suspectum abiectumque fuisse, ut vel XVI. et XVII. saeculi quin nostri priorum decenniorum longe plurimis medicis horrendum fere improbumque visum esset facinus, propinare Hyoscyamum tum album, tum maxime nigrum *a*), nisi forte in compositis quibusdam pharmacis, quibus adhuc auctoritas celebritasque antiquitus servata fuerat. Quid quod vel olei quoque Hyosc. usum extern. adeo plerumque fugere iidem, ut MATTHIOLVS, eo ipso, rectius, ac apud Dioscor., parato, pluries usus, "perpaucos reperiri medicos, qui oleum hoc noverint, nedum in usum unquam receperint," non potuit, quin affirmaret *b*). Neque fere alius H. usus, isque praecipue inter circumforaneos et agyrtas, remansit, quam antiquus ille

 contra

a) Quin adeo ipse SIMON PAVLLI, alias de materia med. egregie meritus, (*Quadripart. botan.* ed. FICK. 1708. p. 284.) scribere non dubitaret: "Hyosc. inter deleteria non extremum occupat locum, adeo ut *exspuere ad illius nomen*, non sine horrore," -- deceat.

b) *Comment.* in *Dioscor.* (Ven. 1558.) p. 56.

contra *dentium* (rarius capitis) dolores, fumo plerumque feminis H., prunis impofiti, per infundibulum ori (aut naribus) immiffo. Quem tamen ut noxium admodum iam olim quidam et inter eos MATTHAEVS IACOBAEVS *), vituperarunt.

Attamen fuere quoque peritiores, magnique nominis medici, qui Hyofcyamum tam album, quam nigrum, eiusque femen praefertim, tamquam efficax remedium, contra varios morbos adhiberent laudarentque: imprimis contra *Haemoptyfin* (FORESTVS, C. GESNER, CRATO, FORTIS, HEVRNIVS, PLATER — is etiam contra *Haemorrhoides* —, P. BOYLE, qui maxime laudat electuar. e fem. H. albi et Papav. albi *ἀνα*, cum conferva rofar. rubr., tamquam optime fanguinis fputum cohibens), tum etiam contra *Catarrhos c*), contra *Epilepfiam* (TH. MAYERNE, eximie laudat fem. H. ufum, per 40 dies continuandum, incipiendo cum granis VI - VIII, augendoque gradatim dofin ad fcrupulum aut ad grana XXIV usque, quovis mane cum fucci fempervivi rec. expreffi cochlearis menfura fumenda); et contra *Dyfenteriam* (CLAVDER. *extractum* iam commendat *d*). Externe quoque folia cataplafmatis forma commendata funt ad *tumores* dolentes et inflammatorios

*) *Act. Havnienf.* T. I. p. 209.

c) cfr. GEOFFROY *Tr. de mat. med.* Par. 1741. T. III. p. 603.

d) SCHROEDER. *Thefaur. pharm.* L. IV. p. 83. cfr. F. HOFFMANN. *Clav. pharm. Schroed.* p. 486. GEOFFROY l. m.

torios *e*), ad dolores *ſcorbuticos* (ETTMÜLLER); dolores *arthriticos*, *podagricos*, *rheumaticos*, ipſosque locos *inflammatos* (SCHROEDER, apud quem *extractum* quoque memoratum invenio, RENARD, et LA BROUSSE *f*); contra *hepatis obſtructionem et indurationem*, tamquam diſcutiens (RIVERIVS, TOURNEFORT); idem contra *mammarum* duritiem et ad lac grumeſcens ſtagnansque diſcutiendum (TABERNAEMONT., TOURNEFORT); idemque alii contra *tumores lymphaticos* extremitatum, praeſertim a *frigore* ortos, itemque *pruriginem* ex hac cauſa (H ſemina capſulaeque prunis inſperſa, fumusque exhalans extremitatibus admiſſus *g*). Oleum ſem. H. jam a MATTHIOLO (v. ſupra), poſteaque a Fr. HOFFMANNO patre (l. m.) tamquam inſigne anodynon laudatum.

Nihilominus tamen Hyoſcyami, nigri praeſertim, *internus* uſus rariſſimus, perpaucorumque tantum medicorum temeritati quaſi relictus manſit, quippe quem potius vel huius quoque ſeculi ſex priorum decenniorum, tum medicinae clinicae, tum medicamentorum apparatus ſcriptores fere omnes, iique potiores (HERRMANN, LEMERY, GEOFFROY, CARTHEVSER, CRANZ etc.) valde ſuſpectum et periculoſum cenſuere.

Tanto inde maiora fuere Perill. *de* STOERK merita, utpote primi, principisque, qui noſtris tem-

e) *Journal de Medecine* T. XXVIII. 1764. p. 241. T. XXIX. p. 503.

f) *Ephem. Nat. Cur. Dec.* II. Ann. 6. p. 361.

g) vid. GEOFFROY, p. 604.

temporibus Hyoſcyami nigri, et quidem huius extracti, internam in variis morbis adminiſtrationem reſtaurare, ſtabilire, rectiorem aptamque reddere, et inter reliquos commendare et divulgare ſuſciperet *b*). Quem ſequuti Viri Clariſſimi COLLIN, WHYTT, CVLLEN, PLENK, ALLIONE, STOLL, I. A. PH. GESNER, ROSENSTEIN DVBB, FOTHERGILL, nuperrimeque Ill. HVFELAND, (cuius imprimis de augendo commendandoque extracti H. uſu multa laus eſt), et Cl. IAHN, ſalutarem H. in pluribus morbis uſum tum denuo probarunt, tum novis obſervationibus amplificarunt, itaque huic vindicarunt, inter pharmaca aeque egregie ſalutifera ac efficacia, locum haud amplius dubitandum.

IV.

Hyoſcyami vires in genere.

Haud inconſulto quidem hiſtoriae pharmaci noſtri, antiquiori praeſertim, exponendae longius aliquanto immoratus ſum, ſiquidem in ſequentibus iam, ubi de viribus uſuque Hyoſcyami e noſtri temporis doctrina ac obſervatione diſputabimus, alia eorum, quae illic expoſita ſunt, forte in hodierni uſus commodum et amplificationem adhibere, alia eo brevioribus abſolvere licebit.

Vires

b) ANT. STOERCK. *libellus, quo demonſtratur, Stramonium, Hyoſcyamum, Aconitum*, poſſe exhiberi etc. Vindob. 1762. p. 26. ſq. EIVSDEM *libell., quo continuant. experimenta* etc. 1765. p. 122. ſq.

Vires Hyoſcyamo nigro ſunt *narcoticae*, vel *ſtupefacientes*, (hae tamen non niſi in largiori doſi), *ſoporiferae*, *anodynae*, *ſedantes* motus vehementiores, *antiſpasmodicae*, demumque *reſolventes* atque *emollientes*. Quas inter maxime eminet uſuique therapeutico prae aliis eximie conducit vis *ſedans*, *anodyna*, et *ſpaſmos tollens*; in qua extollenda tum olim iam, ſicut vidimus, antiqui fere omnes conſenſerunt, et hodie quoque medici noſtri, rectius eam experti, fere unanimiter conveniunt. Maiori gradu vires dictae inſident herbae, ac reliquis partibus, attamen ſemina quoque, praeſertim recentia, (neque non radix, hodie inuſitata) iis abunde pollent. Recentis itidem plantae vires fortiores, quam ſiccae. — Largiori nimiaque copia comeſti Hyoſcyami vis *narcotica* vel ſtupefaciens, atque nervorum functiones non ſolum *obtundens*, ſed ſaepius quoque, ut videtur, peculiari modo *alienans* vitiansque, (quin immo forſan in nonnullis *initio*, at fugitive tantum, *validius excitans*), praepollet.

Locum itaque, eumque admodum inſignem, Hyoſcyamus occupat inter pharmaca narcotica et ſedantia, eaque ratione *Opio* proxime accedit, huicque earundem virium ratione aequiparandus, quin adeo, tamquam *ſedans* medicamentum, forſan anteferendus eſt, licet aliarum itidem virium effectuumque ratione, ut mox dicetur, ab Opio ſat luculenter diſcedat. Praeterea aliquo modo is convenit quoque, eadem illa ratione, cum *Datura Stramonio*, *Atropa Belladonna*, *Cicuta* (Conio maculato), *Solano nigro*, forſanque aliis eiusdem fami-

familiae plantis minus ufitatis, etfi cum nullo eorum prorfus comparari poffit, quin immo aliis rationibus a dictis hisce, nifi forte a Stramonio difcedere velis, multo magis adhuc, quam ab Opio, differat.

Quas vires revera Hyofcyamo infigniori gradu ineffe, docebunt, qui ex ufu eius, tum praemeditato, et iufto cautoque, tum imprudenti, intempeftivo, nimioque, a peritis fidisque medicis obfervari foliti funt, potiores effectus.

V.

Hyofcyami Effectus generaliores et potiores.

Quae res effectus vocari folent medicamentorum, vel aliarum rerum, in corpore humano vivo, cui aut interno aut externo admoventur, mutationes aliquae, tum organorum, partiumque reliquarum facultate quadam vitali praeditarum, tum functionum, quatenus earum mutationes fenfibus percipiuntur, tum fluidorum, fecretorum alio ac mere mechanico modo, producentium, proprie funt *phaenomena*, five *figna* fenfibus obvia, *mutationum*, a pharmacis iftis in interna partium folidarum (et in iis, ut videtur, prius), aeque ac fluidarum natura fivefis materia, excitatarum, five *effectuum internorum* (ut ita dicam), ob eandem internam fuam originem et naturam per fe fenfibus *haud* percipiendorum. Omnes itaque vulgo dicti medicaminum effectus non nifi (quos dicunt) *fecun-*

secundarii sunt, sive primariorum effectuum, qui proxime a pharmaco in interna (et ut fere dicerem, ultima) partium structura et indole editi sunt, (ut aiunt) sequelae. Inde pleruinque potiori iure *effectus* nominandi sunt, qui vulgo habentur dicunturque medicamenti *vires;* siquidem vim aliquam pharmaco cuivis tribuentes, eo reapse non nisi unius cuiusdam aut plurium effectuum (eorumque internorum aut primariorum), quos tum adesse, tum eius, quam arbitramur, naturae esse, e secundariis eff., s. phaenomenis, colligimus, a pharmaco propria ac certa quadam et constanti utplurimum ratione produci observatorum, habita eorum ad aliorum pharmacorum etc. effectus relatione, ideam atque memoriam involvimus. Vnde iure suo vis in genere a Philosophis Physicisque non tamquam res per se existens, sed tamquam idea subiectiva atque relativa (quam dicunt) ad sensuum scil. observationem, intelligendique rationem ac facultatem, considerari hodie solet. Ne vero hoc speculationis genus, cui in praesentiarum incumbere non licet, ulterius prosequar, hoc modo animadvertisse sufficiat, aeque facile crebroque vires medicaminum etc. cum ipsorum effectibus primariis confundi, ac difficile saepius est, hos effectus, vel interdum secundarios adeo, ubique recte ac distincte a viribus illis propriis, tribui pharmaco solitis, docendo loquendoque discernere, et certos quasi fines verumque discrimen inter utriusque notionem exhibere. Ita enim, ut exemplum proferam, Opio aut Hyoscyamo *vim* esse dicere solemus, sedandorum dolorum, aut Rhabarbaro, alvi ducendae,

quum

quum tamen revera haec *effectus* potius ſint dicenda, iique ſecundarii; ſiquidem alios prius oportet anteceſſiſſe effectus, tum in fibrae ſenſilis tum irritabilis intima compage, antequam illi produci potuerint. Quotiescunque igitur vires commemorantur medicamentorum etc. propriae, iis, niſi omnis fallor, ſemper primarii quidam intimique, at latentes ideo, effectus ſ. mutationes in organis, quaſi tacite ſupponuntur. Etenim vero hi ipſi primarii ſ. intimi medicaminum aliarumve eiusmodi rerum effectus cognitu plerumque ſunt difficillimi, quin ſaepiſſime admodum dubii, incerti, aut prorſus latentes, et non niſi ſuſpicione aut hypotheſi coniiciendi; atque eſſe profecto de medicamentorum agendi modo intimisque effectibus in corpore vivo doctrinam unam e maxime obſcuris, imperfectis, difficillimisque totius ſcientiae medicae, nemo facile rei peritus negabit. Ad illius generis effectus indagandos, et, ubi fieri poteſt, cognoſcendos ſola externorum effectuum ſ. phaenomenorum attenta conſideratione, i. e. experientia fida, uti licet; quae quidem ubi deſinit, aut prorſus deficit, ab omni ulteriori ſpeculatione ac hypotheſi abſtinere, quam vana et infirma coniicere, dubiorumque et incertorum in medicina ſic augere molem, ſatius eſt. — Quod ego quoque ſequuturus, iam Hyoſcyami proprios magis atque potiores et generaliores, quos expertos eſſe plures noſtri aevi medicos novi, effectus ſenſibus obvios, primumque mitiores ac ſalutares, tum vehementiores ac noxios, additis meis qualibuscunque obſervatiunculis, ſimpliciter ennarrabo, quo rectius deinde, quantum ex iis licebit, de

inter-

internis illius facultatibus ac effectibus, agendique modo, quaedam coniici, idemque, de quo maxime agitur, illiusdem tempeſtive et cum fructu exhibendi rationes pro viribus exponi poſſint.

Antea tamen monendum eſt, id quod in reliquis quoque narcoticis frequenter obſervatur, non in omnibus *pares* apparere Hyoſcyami effectus, quin eosdem (praeſertim ubi is iuſto maiori copia ingeritur) in diverſis hominibus, quid quod in uno eodemque, tam vi quam natura ſua, ſaepius multum inter ſe differre, prout ſcilicet, quod in omnibus fere medicamentis fieri ſolet, tum naturae et virium, aeque ac temperamentorum diverſitas, idioſyncraſia, habitus atque conſuetudo, fortuita et temporaria corporis viriumque, aut peculiaris cuiusdam organi conſtitutio, a cauſis fortuitis fugitivisque magis pendens, aeque ac ipſae numeroſae illae cauſae corporis adfectuum externae atque occaſionales, rerum non naturalium nomine vulgo comprehendi ſolitae, variasque corporis viriumque ac functionum mutationes, prout ipſae mutantur, crebro excitantes, denique ipſius medicamenti adhibendi varius modus, copia, tempus etc. actionem (quam dicunt) pharmaci noſtri in organa, vel in uno alterove prae aliis afficiendo, indeque etiam primarios effectus, ſ. mutationes, quas organa viresque ex eo proxime aptiuntur, vario modo mutare, ſive itaque augere, ſive minuere, ſive quoquo alio modo modificare, valebunt.

Quod ubi probe conſideramus, ſaepius nobis continget, vel tales tum aliorum narcoticor., tum

tum speciatim Hyoscyami effectus, quales ab aliis, frequentius forte observari solitis, tum multum *differre*, tum ipsis adeo *contrarii* s. oppositi esse omnino *videantur*, cum iis apte conciliare, atque dissimilitudinis effectuum externorum, sive in sensus cadentium pariter, ac similitudinis internorum, qui pharmaco tribuendi fuerint in singulis casibus observatis, naturam et originem invenire. Hae etiam rationes, quarum uberius prosequendarum hic nullus est locus, ducere ac determinare nos debent in aestimandis, componendis, conciliandisque fidorum medicorum de Hyoscyami effectibus diversis inter se, quin immo contrariis forte, narrationibus ac iudiciis, ita ut ubique ad discrepantiae, quae esse potuerit, causas tam internas, quam imprimis externas et fortuitas respicere, atque sic proprios sibique magis constantes medicamenti effectus ab accidentibus et fortuitis, quantum fieri potest, secernere, haecque ex illis, quantum itidem valemus, explicare studeamus.

Inter effectus vero salutares, ex Hyoscyami usu observari solitos, primum nominandi sunt, qui viribus eius *anodynis* et *sedantibus* debentur, tamquam reliquorum principes, certissimi plerumque, atque ad medicinam morbis faciendam valentissimi. Sedat enim atque compescit vere eximio modo Hyoscyamus (tum maxime interne sumtus, extracti forma, tum etiam externe) non solum *dolores*, a morbosa irritatione, tensione, laesione etc. nervorum ortos, inprimis ubi doloris origo caussaeque internae (varia irritamenta, nervo-

nervorum ſenſum iuſto vehementius excitantia,) ſunt, ſed etiam *irritationes atque motus et actiones nervorum* praeter naturam *vehementiores*, ſ. eos affectus, quos in genere *Hyperaeſtheſiae* atque *Erethiſmi* (irritabilitatis GAVB.) nomine comprehendere ſolemus. Ad hos compeſcendos equidem, virorum peritiſſimorum auctoritate et experientia adiutus, vix ullum novi medicamentum, quod efficacius eſſet, unaque tutius et opportunius exhiberi poſſit, ac Hyoſcyamus. Nam vel ipſum quoque Opium hac ratione Hyoſcyamo vix ac ne vix quidem eſſe praeferendum, in ſequentibus monſtraturum me eſſe ſpero. Atqui tum inprimis ſedantes Hyoſc. obſervantur effectus, ubi morboſa nervorum ſenſilitas motusque et ſenſus eorum vehementiores a vis nerveae et in genere a vis vitalis (ſiveſis incitabilitatis) intenſiore et vere praeter naturam aucto vigore atque efficacia orta, minus vero, ubi a iuſto maiore debilitate vis nerveae et muſcularis, nimis vehementem nimisque diuturnam harum virium intenſionem et actionem tam facile ſequi ſolita, adeoque frequenter roboris multum aucti *ſpeciem* exhibente, producta fuerint. Attamen, ſicut in univerſum ſaepius difficillimum eſt, utrumque auctae ſenſibilitatis motusque nervoſi genus, niſi cauſae antecedentes corporisque reliqua indoles manifeſto pateant, rite dignoſcere, praeſertim in eiusmodi morbis complicatis, in quibus unius vis organicae, e. gr. muſcularis, vigorem actionemque fere penitus extinctam deprehendimus, alterius (nerveae) robore ac efficacia ſimul fere integra prorſus remanente, quin immo interdum

hac ipsa solito magis adhuc crescente: ita quoque, quod ad Hyoscyamum attinet, in morbis alterius utrius, praecipueque dubiae, naturae, non ubique eandem, quam a potiori dixi, effectus rationem observare aut certo enuntiare licet. Siquidem etiam in iis morbis, in quibus nervorum aucta sensilitas motusque vehementiores ac inordinati meliori iure *debilitati* nervorum systematisque irritabilis solito maiori tribuenda esse videntur, e. gr. ubi a pathematum animi, aut phantasiae nimia nimisque diuturna vehementia ac energia, aut ab alia quavis animi immodica cura ac intentione, aeque ac (inprimis) a vigiliis diuturnis, oriuntur, Hyoscyamum summo cum fructu exhiberi, ibique egregie sedare, hic soporem accessere, videmus. Hoc tamen tenendum duco, tum, quum malorum istorum naturam ac causam veram et manifestam plane debilitatem esse cognoveris, circa Hyoscyami usum saltem cautissimum esse oportere; quippe quum Hyoscyamus revera *vim, motumque nervorum*, ut infra dicendi copia magis erit, *debilitare* videtur. Neque vero solum *universalem* istiusmodi hyperaesthesiam aut morbosam nervorum irritationem sedare valet, sed *topicam* quoque; unde etiam in singulorum organorum, praesertim pectoris, praeter naturam aucta irritabilitate, aut eorundem transitiva et temporaria tantum irritatione, aut etiam in morbis, in quibus nervorum energia et sensilitas potissimum in una alterave corporis parte prae reliquis eminet, ibique quasi coacervata figitur, caeteris paribus admodum conducit. At non solum nervorum turbas, sed musculorum

quo-

quoque ſive in genere *fibrae irritabilis* motus vehementiores atque *inordinatos*, quatenus ſcilicet ii a nervorum actione morboſa pendent, Hyoſc. egregie lenit atque tranquillat, et tanquam unum e praeſtantiſſimis remediis *contra ſpaſticas vaſorum irritationes ac conſtrictiones*, aeque ac contra alios muſculorum *ſpaſmos* atque *convulſiones*, ubi itidem, (quod frequentiſſimum eſſe ſolet) a nervis praeter naturam fortius adfectis et agentibus originem ducant, ſeſe praebet, id quod innumeris virorum ſcientiſſimorum obſervationibus confirmatur. Hinc in omnibus malis, quae ex eiusmodi ſpaſticis vaſorum muſculorumque irritationibus ac conſtrictionibus aut ortum duxerunt, aut augmentum peioremve indolem acceperunt, tempeſtive cauteque datus Hyoſc. admodum eſt ſalutaris. Atque et aliorum virorum experientia edoctus, et ipſe eximios Hyoſc. effectus in morbis ſpaſmodicis ſaepius expertus, eum tum, quum hic tantum finis aſſequendus, et a nova quavis irritatione aeque ac fibrae irritabilis ſenſilisque debilitate promovenda valde cavendum eſt, Opio, utpote poſterius utrumque crebro producente, plerumque anteferre non dubito. — Ad hos effectus antiſpasmodicos referenda quoque eſt *emolliendi* atque *reſolvendi* virtus, qualem Hyoſc., externe praeſertim applicatum, in tumoribus vaſorum tenſis, inflammatis, dureſcentibus, obſtruique incipientibus, exercere, iam antiquitus obſervatum eſt. Neque vero medebitur iis Hyoſcyamus, niſi natura eorum phlogiſtica magis, fibraque ſtricta, et irritabilior, praetereaque magis minusve ſpaſtica conſtrictione adfecta ſit, utpo-

te in quibus Hyoſcyamus vi ſua ſpaſmorum tollendorum aut minuendorum conducet. Contra minime iuvabit idem in eiusmodi vaſorum etc. morbis, qui ſi ex debilitate et laxitate fibrae ortae fuerint, eamque retineant; quin potius in hisce, magis adhuc debilitando, nocebit. — Porro inter Hyoſc. effectus ſalubriores non omittenda quoque *ſomni* et *ſoporis* procreatio, maxime facultati eius narcoticae ſive nervorum ſenſum obtundenti, quae quidem ſedanti illi admodum propinqua eſt, tribuenda. Huius tamen ratione ab opio, validius citiusque plerumque (etſi minime in omnibus) ſomnum ciente *i*), ſuperari ſolet, etſi ille eundem in finem hoc ipſo tutius et commodius forte adhiberi poſſit. Attamen, ſicut Opii, reliquorumque narcoticorum, ita Hyoſcyami quoque ad ſolum ſomnum conciliandum uſus plerumque anceps ſuſpectusque eſt, ac inter cautos ac peritos medicos parciſſimus erit. — Hypnoticos hos atque ſtupefacientes effectus a ſemine Hyoſc., minus tuto parumque hodie uſitato, maiori gradu produci obſervatum eſt, quam ab extracto. — His denique effectibus ad medicinam e Hyoſc. faciendam potentioribus alii adhuc, ſive virtutes potius et vere praerogativae, accedunt, aeque eximiae, et in ſexcentis caſibus Hyoſcyami uſum prae aliis eiusmodi pharmacis, Opioque inprimis, commendantes atque iuvantes. Iuſto enim modo et tempeſtive exhibito Hyoſcyamo *excretiones naturales*, *alvique* maxime, in ſtatu naturali *nullo modo*

i) Obſervatum tamen in aliis, Hyoſcyamum tum ſomnum procreaſſe, ubi Opium ad idem non valuerit.

modo minuuntur, aut ſupprimuntur, quale tamen impedimentum Opio utplurimum effici ſolet. Sed ſub illius potius uſu aut priſtina durant integritate, aut leniter, et ſine ullo incommodo, *promoventur excretiones*, ita ut tum quoque, ubi alvus antea ſtrictior magis fuerat, liberior ea fiat; id quod complurium virorum peritorum experientia *k*) confirmatur, quodque ipſe ego, per aliquot dies extractum Hyoſcyami nigri ſolius experimenti cauſa ſumens, indeque aliquanto molliorem aluum, at vix crebriorem, neque etiam minimam catharſin proprie ſic dictam, patiens, expertus ſum. Neque ſimul ventriculum ita aegre afficit, ac opium. Praeterea *alias* quoque excretiones, ſudoris, urinae, ſalivae (GREDING), ſanguinis menſtrui et haemorrhoidalis (I. A. PH. GESNER, GREDING, HAHNEMANN, IAHN.) interdum promoviſſe Hyoſc., obſervatum eſt; quod tamen non niſi ſpaſticam vaſorum conſtrictionem tollendo effeciſſe eum, vix erit, qui neget. Porro ventriculo parum infenſus H. eſt habendus, quin

 iuſta

k) Vid. Perill. STOERCK *lib. de Hyoſc.* p. 31. 33. 41. etc. GREDING, apud LUDWIG. Adverſ. med. pract. Vol. I. Part. I. p. 115. Hic deiectiones alui crebriores et profuſiores, ventrisque tormina ex hyoſc. extracto (granor. X-XVIII. copia) obſervavit. MVRRAY *Appar.. Medic.* ed. II. T. I. p. 666. Ill. ARNEMANN. *pr. Arzneimittell.*, ed. II. p. 352. Cel. GESENIVS *Handb. der pract. Heilmittell.*, p. 404. Ill. HVFELAND *Bemerk. über die Blattern, und andere Kinderkrankh.* 1793. p. 378. 507. Cel. HAHNEMANN. in HVFELAND *Iourn. der pract. Heilk.*, II. 4. p. 489. Cl. IAHN *pr. Mat. med.* 1797. p. 431.

iuſta doſi, ut STOERCKIVS potiſſimum obſervavit frequenter, et ego quoque tum in aliis, tum in me ipſo expertus ſum, *appetitum* ciborum plerumque ſat multum *augeat.* Qua ratione itidem Opio praeſtat. Poſtremo, quod egregium eſt, neque cordis *vaſorum*que actionem, neque inde *ſanguinis motum,* Ill. HVFELANDIO quoque id confirmante, augere, hinc nullum humorum orgasmum, nullasque eorum congeſtiones verſus caput aut pulmones etc. progignere H., rite parceque exhibitus, ſed potius orgasmum motumque validiorem ſanguinis *lenire* atque *ſedare*, quin immo *aeſtum febrilem* minuere *l*), ſolet; ideoque in ipſis febribus inflammatoriis et ardentibus, idemque in ſanguinis congeſtionibus et profluviis ſthenicae indolis, ſ. quas vocant, activis, neque vero in iis, quorum cauſa debilitas eſt nervorum et atonia, tuto (multoque tutius ac frequentius quam Opium, cuius, utpote irritantis potius et exaeſtuantis, quantae plerumque in iſtis morbis eſſe ſoleant noxae, inter omnes conſtat) et, experientia teſte, magno cum fructu H. adminiſtrari poteſt.

l) Quid quod in univerſum *calorem animalem* inſigniter *imminui* Hyoſcyamo, magna copia porrecto, Cl. HAHNEMANN. (l. m. p. 487.) affirmat. Quod ſi ita ſe habet (neque etiam de hoc Hyoſcyami, iuſto *maiori* copia ſumti, effectu dubito), eo ipſo facultati, quam ſupra Hyoſc. tribuendam dixi, *debilitandae* nervorum actionis tanto certius argumentum accedere mihi videtur.

VI.

VI.

Hyoſcyami effectus vehementiores ac noxii, Venenum eum eſſe, comprobantes.

Pluribus hic in veneni naturam ac notionem (adhucdum nondum ſat clare firmiterque expoſitam) inquirere neque animus eſt, neque locus. Hoc animadvertiſſe ſufficiat, omne id pro veneno haberi poſſe atque ſolere, quod vel minima copia, habita ad reliqua pharmaca ratione, corpori vel interno vel externo applicatum, viribus quibusdam ſibi propriis, iisque ut videtur, magnam partem (neque tamen ſolis) chemicis, organa corporis aut omnia aut ſingula graviter laedere, iisque corruptionem, quin ipſam mortem, inferre valet. Ex quibus *narcotica* ea inprimis dicuntur, quibus vis eſt cerebri et nervorum prae aliis partibus graviter et ſat celeriter adficiendorum, ſentiendique eorum facultatis, ſaltem pro tempore, vehementer obtundendae ac minuendae, quin adeo, pro veneni eiusque copiae ratione, penitus exſtinguendae. In eo tamen narcotica hucusque cognita inter ſe differre exiſtimandum eſt, quod eorum *alia* (quantum ex obſervatione colligi licet) *primum* cerebri et nervorum, indeque partium quoque (fibrarum irritabilium), efficaciam ſuam magnam partem illorum efficaciae debentium, facultatem et actionem iuſto validius multo *excitent*, augeantque, et hoc demum facto tanquam ſecundaria vi, illorundem organorum vim atque efficientiam magis minusve *minuant debilitentque*; *alia* contra primarium illum effectum ſenſi-

ſenſibus haud prodant, ſed ſtatim ac effectus edere incipiunt, (ut ſaltem ſenſuum obſervatio docet,) obtundendo et debilitando cerebri et nervorum vim et actionem agant, et in hoc agendo perſiſtant. (Atque enim, ſicut in multis aliis, ita inprimis in narcoticis pharmacis, neque ubique opus eſt, neque, experientia ſane multoties repugnante, licitum eſt, HAHNEMANNI V. Cl. exemplo, *duplices* effectus, ſibimet natura ſua contrarios, indeque in omnibus illiusmodi ſecundarium quoque — praeſertim ſi primarium nullum vides — ſtatuere.). Haec ſi perpendimus, Hyoſcyamo locum inter *narcotica* venena, eaque *ſecundi* quidem ſupra dicti ordinis, tribuere, pariter ac veteres quoque feciſſe ſupra narratum eſt, nulli dubitabimus. Sexcentos enim (vel a nuperis) memoriae traditos habemus *caſus*, in quibus Hyoſcyamus nimia copia et imprudenter aut intempeſtive propinatus, eiusmodi effectus, a ſtupefaciente et nervoſi ſyſtematis energiam debilitante aut pervertente illius facultate maxime petendos, proderet. Inter antiquiores (antiquiſſimos ſupra dixi) ſcriptores, eiusmodi exempla tradentes, WEPFERVM, virum egregium, nominabo, obſervationem RYSERI cuiusdam tradentem de radicibus Hyoſc. per errorem pro cichorei radd. habitis et comeſtis, e quibus fere omnes monaſterii Bened. Rhinovienſ. monachi veneni admodum *ſtupefacientis*, *mentem alienantis*, variaque cerebri et nervorum muſculorumque functiones inſigniter turbantis, nec non *viſum debilitantis* et *vitiantis*, effectus experti ſunt m). *Mortem* aliquot colonorum ex eſu radicum

m) WEPFER *Hiſt. Cicut. aquat.* 1679. p. 230.

cum H. narrat SIMON PAVLLI *n*). *Convulſiones* et diſtorſiones membrorum, *riſum* ſardonium, *furorem* vehementiſſimum, *viſum* primum *duplicatum*, deinde *perverſum*, omnia pariter ex radicibus H. deglutitis orta, ex Angli POTOVILLAT deſcriptione repetiit b. MVRRAY (l. m. p. 658.). Ibidem etiam alia ſimilia exempla collecta invenies, quae inter memoratu dignum eſt, tanquam rariſſimum, illud *tumoris* et *rigiditatis manuum* in femina (probabiliter ex atonia fibrarum, Hyoſc. vi debilitante producta auctave). Plures etiam de noxiis et deleteriis effectibus Hyoſc. obſervationes inveniuntur in *Ephemeridibus Nat. Curioſ. o*), vbi praeter alias nervorum turbas motusque varios convulſivos, inprimis vehementiores *rixae* et *altercationes* furibundae, quin *verberationes*, a comeſto larga copia Hyoſcyamo obortae, produntur. Hanc quoque ad iracundiam rixasque proclivitatem cum amentia ex Hyoſc. abuſu facile oriundam, veteribusque (ut vidimus) probe iam cognitam, Cl. HAHNEMANN (l. m.) denuo confirmare ſtuduit. Porro *delirium* (etiam furioſum), *vertiginem*, *ſoporem profundum*, obſervarunt

n) *Quadrip. botan.* ed. FICK p. 230.

o) Vid. *Dec. I.*, *Ann. III. obſ.* 21. *Ann. IV.* et *V.* (radix iurgia et verberationes cum furore producens). *Dec. II.*, *Ann. VI. Obſ.* 78. (ſuccus) *Dec. III. Ann. VII.* et *VIII. Obſ.* 66. et *Ann. IX.* et *X.* p. 178. (in utroque, ibi ſemina, hic folia, pariter rixas et tumultuoſa convicia parientia).

varunt STEDMANN *p*), et SLOANE; posterior quoque visus *obscurationem*. Eandem et *memoriae eclipsin* SWIETENIVS (vid. CRANTZ l. m.) et HAHNEMANN. Alii *deglutitionem impeditam* (HVFELAND l. m. p. 508. ex Clysmate), *hemiplegiam et paralysin* [BOERHAAVE *q*)], *dolores colicos* (STOERCK et GREDING) *cephalalgiam*, itemque *vomitum* et *diarrhoeam*, tum *exanthemata pustulosa* (GREDING), *haemorrhagias* (? in statu sano numquam puto; HAHNEMANN) *tussim siccam* (? ? *Idem*). Praeterea a quibusdam scriptoribus toxicologicis alii quidam effectus Hyosc. memorantur, ut ab. PVIHNIO *r*) hydrophobia *s*), gastritis, gangraena, hydrops, ischuria, febris etc., qui tamen morbi probabiliter aut *nulli* sunt habendi H. effectus, neque nisi olim forte prae errore pro iisdem venditati, aut *fortuiti* magis, et rebus morbisve aliis accidentibus, Hyoscyami usum sequuti. A quibusdam H. generandi facultatem quoque debilitare fertur. *Mors* haud ita crebro quidem, attamen interdum, ex esu H. observata est.

Ex plurimis hucusque dictorum effectuum noxiorum, inter quos, praeter amentiam, vertiginem, sensuum musculorumque torporem, convulsio-

p) Vid. CRANTZ *Mater. med.* 1765. T. III. p. 65.

q) Vid. HALLER. *Hist. stirp. Helv.* n. 580. ubi plura exempla invenies.

r) *Mater. venenar. regni veg.* 1785. p. 41. Cfr. inprimis Ill. GMELIN *Gesch. der Pflanzengifte.*

s) Quam tamen e Hyosc. observasse affirmat quoque BARRERE (vid. CRANTZ l. m.).

vulſiones varias etc., utpote frequentius obſervari ſolitas, *viſus* hebetudo et diminutio aeque ac perverſio tamquam vix minus frequens propriumque ex Hyoſc. phaenomenon (ex aliis tamen narcot., Stramonio inprimis, aeque facile enaſcens), notatur, eos vehementer ſtupefacienti et ſenſum motumque obtundenti debilitantique Hyoſcyami, nimia copia aut imprudenti modo devorati, facultati tribuendos eſſe, indeque plantam hanc iure optimo inter narcotica venena validiſſima et — in imperitorum manibus — periculoſiſſima referendam eſſe, apparet. Quod ad alios quosdam attinet effectus memoratos, inprimis deliria furioſa, rixas, pugnas, dolores colicos, aliosque eiusmodi, quibus naturam veneni *excitantem* magis, fibraeque ſenſilis et irritabilis energiam augentem potius, colligere forte putares, eorum plerosque, opinor, bene cum dictis illis propriis Hyoſc. viribus conciliare poteris, ubi modo propria et conſtantia ab accidentibus et tranſitivis rite ſemper diſtinxeris, et quae ſupra (p. 47) paucis attigi de effectuum varietate et vera diverſitate, a varietate et diverſitate hominum, naturae, virium etc. pendente, praetereaque, quantum hic fieri poſſit, proprias ſ. quas dicunt *ſpecificas* Hyoſc. virtutes, nobis quidem adhuc nondum perſpectas, at certo tamen non unice *quantitatis* relatione definiendas, curate perpenderis.

His addendum adhuc, primum, *ſeminibus*, forſan quoque herbae recenti Hyoſc., vim illam ſtupefacientem et narcoticam maiori gradu ineſſe, ac extracto; deinde, veneni deleterii effectus Hyo-

 ſcya-

ſcyamum, et praeſertim, quod ſolum fere in uſum iam venit, eius extractum, non in tam minima doſi in plerisque prodere ſolere, ac Opium, itemque Stramonium; ſiquidem utplurimum in adultis extracti Hyoſc. ad minimum gran. III — IV. ſaepius vero multo pluribus, opus eſt, quo tamquam venenum agere valeat. — Ipſe ego, ſanus ceterum, quantum extracti Hyoſc. nigri rite parati ſine notabili incommodo ferre valerem, experturus, per IV. dies, et hoc ipſo, quo haec ſcribo, mane, primum quovis mane et veſpera bina eius grana, ſequenti die eandem doſin ter, (additis hora X. mat. binis gr.), tum ſola veſpera et mane ſequ. grana duo et dimid., tandemque ſolo mane tria grana, ſtomacho ut plurimum ieiuno, deglutivi, atque ex hac copia (ad XVI. grana intra 4 dies) nihil aliud ſenſi, quam mox poſt doſes poſteriores leviſſimam admodum temulentiae ſpeciem, capitisque gravitatem haud multum moleſtam, et mox transeuntem, tum aeque inſenſilem fere viſus obumbrationem valde fugitivam, et interdum maculas et ſcintillulas per momenta ante oculos obvolitantes illicoque iterum diffugientes (quae tamen hodie abſunt), praetereaque alvum molliorem (minime fuſam, neque torminibus etc. iunctam) at notabiliter *debiliorem.* Pulſum haud languidiorem aut tardiorem inveni; neque ſomnum mutatum, neque turbatum, niſi fere breviorem paulo, contra ciborum appetitum pauliſper auctum ſenſi. Quod poſtremum phaeonmenon explicatu difficilius.

Anti-

Antidota contra Hyosc. venenum multa quidem antiquitus iam (ut vidimus) commendata sunt; at parum certa. Optimum sane est, ubi Hyosc. iamprimum devoratus fuerit, illico emeticum propinare. Quodsi vero tempus diutius iam praeterlapsum est, tum *lac* recens, tum inprimis *coffeae potum*, lacte pauco mixtum, (quem ipse ego quoties per hos dies, elapsa una alterave hora post Hyosc. matutinum usum, hausi, tamquam optime et confestim dissipantem leviores istos capitis adfectus expertus sum) prae aliis commendanda videntur. —

VII.

Hyoscyami tempestive et cum fructu adhibendi modus. Indicationes, itemque (quas dicunt) Contraindicationes generaliores. Cautelae circa eius usum observandae. Dosis. Methodus.

Quum ex antecedentibus appareat, Hyoscyami virtutem potentissimam esse *sedantem* et *anodynam*, adeo, ut (de quo equidem persuasus sum), nisi is etiam ubique in minima adeo dosi, qua *opium* plerumque solet, effectus illos prodat, ratione tamen *constantiae* unaque multo *tutioris* plerumque usus, *huic* palmam praecipiat, atque (quidquid alii, GREDING. praesertim, pharmaco huic omnium minime favens, tum TISSOT quoque, de suspecto fugiendoque potius eius usu dicant) inter praestantissimas illius generis medicinas

cinas numerandus ſit, facilius iam, *quibusvis* in corporis conditionibus adfectibusque generalioribus Hyoſcyamus, interne potiſſimum adhibitus, *conducat* atque *indicetur*, cognoſcemus.

Admittunt vero poſtulantque Hyoſcyami uſum:

1) *Nimia* cerebri et nervorum *energia* et actio, e *vera* vis vitalis excitatione roboreque naturali maiore oriunda, variosque inde vehementiores ac inordinatos motus pariens; ut in morbis inflammatoris veris, cum adfectibus illis coniunctis, aliisque eiusmodi ſthenicis. Attamen tum modo ſedandi cauſa hic dandus Hyoſc., ſi aliis mitioribus ſuetioribusque, venae ſectione, refrigerantibus etc. nervorum turba mitigari non potuerit. *Febris* vel peracuta, forte iuncta, hic Hyoſc. uſum minime vetat, immo ipſa, ſi vi ſua aeſtuque nervoſum ſyſtema nimium afficit, adhucque magis eius energiam inflammat, illum nonnunquam tanto magis poſtulat.

2) Vehemens et univerſalis ſyſtematis nervorum *irritatio*, indeque nimia eorum ſenſilitas atque mobilitas, producta ab *irritamento*, ſ. *ſtimulo* quodam non naturali vehementiusque in nervos agente, e. gr. materiis quibusdam morbificis, acrioribus, contagiis etc. Hic ſaepius quidem Hyoſc. tantum palliativo, quem vocant, modo, ſive leniendo, opem fert, at ſaepe

ſaepe quoque ipſam cauſam, i. e. irritamentum, tollit, aut plane iners reddit *t*).

3) Eiusmodi nimia irritatio et hyperaeſtheſia nervorum *topica*, a ſtimulo locali.

4) *Senſilitas* nimia *ſympathica*, aut, irritamento iam extincto, *remanens*. Hic tamen, quum plerumque nervorum debilitas adſit, caute parceque, neque niſi urgente neceſſitate, Hyoſcyamo utimur.

5) *Dolores* acerbiores, et periculum minitantes. Medico cauto tamen prudentique hic quoque valde opus eſt.

6) *Vigiliae* diuturniores, viresque exhaurientes, ubi a nimia ſenſilitate neque alia cauſa ortae ſint, aliisque mitioribus medic. haud cedant. Improvidus tamen Hyoſc. uſus hic maxime nocere poteſt.

7) *Muſculorum nimia* irritabilitas, ab aucta nervorum actione oriunda; potiſſimum, ſi non inſignior debilitas et atonia eam pepererit, comiteturque.

8) *Convulſiones muſculorum* aliique *adſectus ſpaſmodici* vehementiores, *vaſorum* ſpaſticae *conſtrictiones* etc. In his Hyoſcyamus vere praeſtantiſſimus eſt, inprimis ubi fibra irritabilis robore

t) Neque utique adſentiri hinc poſſum Cel. JAHN, „*Das Bilſenkraut wirkt nicht auf die nächſte reizende Urſache der Nervenkrankheiten*," inquienti (p. 436.).

robore ſuo nondum inſigniter deſtituta eſt. Hinc praeſtat quoque Hyoſc. contra

9) *Secretionum* et *excretionum* plurium, ſanguinis, lymphae, ſuccorum canalis alimentarii, bilis, etc. varias *laeſiones ac vitia*, *ubi* ab organorum ſecernentium aut continentium praeter naturam aucta ſenſilitate et irritabilitate profecta fuerint. Huc itaque pertinent tum *auctae* nimium *ſecretiones*, (ut in dyſenteria, catarrho etc.) aucti fluidorum *motus*, idemque *humorum* (*ſanguinis* etc.) ad locos irritatos *congeſtiones*, ex nimis violenta vaſorum incitatorum actione et efficacia; tum *impeditae* aut *turbatae* ſecretiones et excretiones, et impeditus fluidorum liber motus, indeque humorum in ſingulis locis aut vaſis *retardationes* et *ſtagnationes*, a ſpaſmodica conſtrictione vaſorum, alias robuſtorum, ſumme auctam ipſorum irritationem ſequente. Hinc, quo pacto Hyoſcyamus alias excretiones promovere, alias cohibere, ideoque e. gr. haemorrhagias tum in aliis ciere, tum ſiſtere in aliis, valeat, videmus. — In his morbis Hyoſc. permultum praeſtat Opio, quod, quantum hic, praeſertim in ſanguinis congeſtionibus, ſaepius noceat, ſat cognitum eſt.

10) Denique addam *aetatem infantilem* et *puerilem*, utpote quae fere in omnibus caſibus, in quibus Opium adultis exhiberi conſuevit, *Hyoſcyamum* poſtulat, eumque utplurimum multo maiori cum commodo (ut egregie iam Ill.

HVFE-

HUFELAND monuit) ferre ſolet, ac Opium, pueris tenerioribus perraro tantum conducens.

Praeter potiores has conditiones, Hyoſcyami uſum ſalutarem indicantes, facile cuique artem dextre facienti ſinguli et ſpecialiores, quos hic attingere non potui, occurrent caſus, in quibus Hyoſcyamum optime convenire indicarique percipiet; alii licet haud raro inveniantur, in quibus, an Hyoſcyamo commode et tuto contra eos utendum, an potius ab eo abſtinendum, iudicatu difficillimum ſit, ſolummodoque ſinguli cuiusvis ſagacitati et experientiae relinqui debeat. Modo ubique perpendamus, id quod ex dictis effectibus prodire videtur, principem ac *primarium* forte Hyoſc. effectum (niſi vim potius *irritantem*, haud ſcilicet ſenſibus percipiendam, ideoque *vix umquam certo* demonſtrandam, tanquam primariam ei tribuere malis) eſſe, *nervorum* primum, tum muſculorum quoque, vim et actionem *debilitare* ac minuere, licet id modice tantum in pauca doſi, at inſigni gradu, ubi nimia copia ſumitur. Atque hac potiſſimum ratione *differre* exiſtimes Hyoſc. ab *Opio*, utpote primario effectu ſuo fibrae ſenſilis et irritabilis vim et actiones ut plurimum *vehementius incitante* et *augente*. Attamen vero, quod obiter dixerim, idem *opium* effectu ſuo *ſeriori*, aut ſi mavis, ſecundario, nervorum (et magis adhuc) muſculorum energiam multo *maiori gradu* multoque *diutius* plerumque *debilitare*, et obtundere, ac Hyoſcyamus ſolet, pariter experientia ſtabilitur. Sicut vero in aliis heroicis medicinis, ita etiam

in Hyoſcyamo hoc ſemper probe tenendum eſt, conſultius probiusque eſſe, tum, ubi de exhibendi ipſius opportunitate, fine, methodove incerti ſimus, ab eius uſu *abſtinere*, quam eius *abuſu* peiora inferre mala.

Inter corporis conditiones generaliores, quae uſum Hyoſcyami aut prorſus *vetent*, aut admodum *coerceant*, potiſſimum inſignior virium vitalium, nerveae inprimis, *debilitas* aut *conſumtio*, una forte cum vaſorum etc. *atonia*, praetereaque eximius humorum, ſanguinis praeſertim, *lentor* et tenacitas, aut ad *coagulandum* proclivitas, recenſenda erunt. Alia uſus impedimenta ſpecialiora in ſingulis caſibus ipſe dignoſcet quisque arte probe imbutus. Attamen vel illo quoque ſtatu praeſente fieri quandoque, rebus aliis urgentius ita ſuadentibus, poſſe, ut Hyoſcyami uſus non modo non prohibeatur, ſed etiam cum fructu inſtituatur, facile largior.

Copia, qua Hyoſcyamus (extractum puta) aegris exhibendus ſit, ſive *doſis*, tum ob morborum, tum naturarum, tum ob rerum accidentium diverſitatem in univerſum haud conſtanter definiri poteſt. Hoc tamen tenendum, in adultorum hominum morbis, in quibus praeſertim ſedandi conſilio datur, ad minimum grano *dimidio* aut (crebrius) *uno*, ad ſummum granis v-vi. extracti puri ac ſinceri in noſtris terris opus eſſe ſolere. Pluribus enim granis ſumtis facillime citoque effectus iſti noxii excitari poſſunt. Grana duo ad tria pro doſi ut plurimum ſufficiunt, et ſine notabili incommodo feruntur. Attamen ſunt quo-

quoque morbi, et inprimis *mania* et *melancholia*, itemque interdum *epilepsia*, forſanque alii quidam ſimiles, in quibus (prioribus duobus praeſertim,) ſine periculo, multo maior extracti copia, usque adeo ad ſcrupulum integrum, multo id rarius licet, propinari poſſit, atque etiam, ad morbum debellandum, debeat. Sed ſumma hic prudentia opus eſſe, facile quisque videbit. Quodſi vero a nonnullis in levioribus morbis (ut inprimis a medico Suecico DVEB in tuſſi catarrhali *v*) granorum xx - xxx doſi extractum, haud quidem infauſto eventu, exhibitum eſſe legimus, vix poſſumus, quin, aut climatis vi aut parationis modo vitiove vires extracti magnopere tum debilitatas fuiſſe, nobis perſuadeamus. — Similibus medicinis narcot. aut anod., opio, croco etc. commiſti extracti parciorem doſin, diſſimilibus magisque excitantibus additi maiorem plerumque eſſe oportebit.

Modus exhibendi Hyoſcyamum varius eſſe poteſt. Aut enim *extractum ſimplex* praebebis, idque vel aqua etc. ſolutum, vel in pulverem, vel, quod praeſtat, in pilulas redactum. Atque hic modus optimus eſt, ubi Hyoſc. effectus proprios accurate experiri velis. Aut extractum *aliis* medicamentis, tum anodynis, opio, croco, belladonnae, etc., tum antiſpaſmodicis (iisque vel fortius irritantibus, at his rarius), moſcho, valerianae

v) Vid. MVRRAY, p. 663. CVLLENIVS quoque non minus quam octo aut plura grana, dolorum ſedandorum cauſſa, ſuffeciſſe fatetur. Cfr. quae Cl. GESENIVS (p. 405.) de Cl. STRVENSEE narrat; itemque Cl. RADEMACHER apud HVFELAND *Iourn.* etc. III. 4.

rianae, flor. zinci (aptius), tum etiam potentius resolventibus, cicutae, aconito, antimonialibus, guaiaco, senegae, etc., praesertim in vehementiori catarrho, asthmate, arthritide, obstructionibus cum dolore et strictiore fibra, etc., in mixturis aut pilulis etc. commiscere, rebus sic suadentibus, conducit. Neque facile cum ullo horum medicaminum coniunctus Hyoscyamus (nisi mixtio admodum perversa et inepta adhibita sit) pacantibus suis effectibus prorsus privabitur. — Reliquarum Hyosc. partium, foliorum, seminum, etc. internus hodie apud nos vix ullus est usus.

VIII.

Morborum potiorum, contra quos Hyoscyami salutares effectus observati sunt, brevis recensus.

Quum potissimum consilium mihi fuerit, *generalioris* therapiae e Hyoscyamo rationes exponere, brevem tantum hic subiungam conspectum *singulorum morborum* (eorumdem plerumque, quibus veteres quoque Hyosc. mederi solebant), in quibus Hyoscyamum salutiferum, partimque praestantissimum ac efficacissimum fuisse, partim multum leniminis procreasse, experientia nostrum temporum docuit. Pertinent huc:

1) Varii *morbi convulsivi*, *Tetanus*, *Trismus*, *Eclampsia*, *Catalepsis*, *Epilepsia*, aliaeque *Convulsiones*, (STÖRCK, COLLIN *w*), LINNE' *x*), PLENK, MÖNCH,

w) *Observatt. med.* T. II. p. 148.
x) *Mater. med.* cur. Perill. *de* SCHREBER. 1787. p. 72.

MÖNCH, GESENIVS, et Anonymus apud Eundem, HVFELAND, HAHNEMANN, IAHN), in quibus tum in primis valde proficuus Hyofc. effe poteft, quum nulla debilitas et atonia caufa fuerit.

2) *Spasmi hyfterici* (PLENCK, IAHN), et *Cephalaea* hyfterica (IAHN, cum effentia Valerianae aut naphtha).

3) *Mania*, *Infania*, *Melancbolia* (STOERCK, LINNE', FOTHERGILL y) aliique).

4) *Agrypnia*, (STOERCK), CEPHALALGIA *inveterata* (*Idem*), *Vertigo* (chronica, SCHENKBECKER apud MVRRAYVM), praeterea alii varii *nervorum morbi chronici*, fine febre notabili.

5) *Febres nervofae acutae*, cum vehementer *aucta* fenfilitate et irritabilitate, motibusque inordinatis; quid quod febres et diathefes *inflammatoriae* quoque, fi nempe pofterius illud adeft.

6) *Haemorrhagiae*, a nimia vaforum irritabilitate etc., inprimis *Haemoptyfis* ex illa caufa, contra quam egregius eft H., admodumque commendandus. Tum etiam *Haematemefis*, *Haemorrh. uteri*, *Epiftaxis* etc.

7) *Tuffis*, tum humida, tum inprimis *ficca*, a maiore irritabilitate pulmonum et tracheae, aut ventriculi, aut a locali ftimulo perdurante producta, aut fymptomatica. In hoc morbi genere mirum in modum efficax eft H., et ab omnibus,

y) *Memoirs of the med. Society of Lond.* Vol. I. p. 310.

bus, eo utentibus, commendatur. Inprimis huc pertinet tussis catarrhalis, tum *hecticorum* et *phthisicorum*, quam saltem plerumque multum H. lenibit z).

9) *Tussis convulsiva.* Extractum solum aut cum demulcentibus, aut resolventibus, senega, antimonii vino, rarius, cantharidum tinctura (IAHN). Laudavit potissimum H. contra dirum hoc malum tamquam praestantissimum remedium Ill. HVFELAND; itemque Cl. SVLZER, et Cl. IAHN. Atque mihi ipsi occasio aliquoties fuit, adversus eundem morbum extractum Hyosc., tam interne quam in clysmatibus, praetereaque externe oleum H, cum laudano liquido, et spir. C. C. succin., toti thoraci illinitum, tamquam maxime salutaria citoque iuvantia remedia experiundi. Forsan Hyoscyamus reliquis longe plurimis medicinis in hoc morbo antecellit.

10) *Dysenteria*, a nimia aut non naturali tubi alimentarii irritatione. Utilissimus sane in hoc morbi genere Hyosc., dignissimusque, quem plures, ac hucusque fecerunt, periti medici frequentius Opii loco, utpote hoc multo praestantio-

z) Ipsi mihi contigit non ita pridem, virum iam ex aliquot annis hectico adfectu crebrisque catarrhis, et inprimis tussi sicca frequenti, et cum molesto titillantis iritamenti in pectore sensu laborantem, Hyoscyamo, Senegae iuncto, in integrum restituere. In alio, phthisi consummata iam confecto, notabile in tussiendo lenimen e Hyosc. vidi. -- Cfr. Cl. VOGEL apud HVFELAND *Iourn.* III. 4.

ſtantiorem plerumque, adhibeant commendentque *a*).

11) *Colica*, praeſertim *ſaturnina* (STOLL, MVRRAY, et WÖLTJE apud *Eundem*), et ſpasmodica [PH. A. GESNER *b*)].

12) *Palpitatio Cordis*, (STOERCK. Etiam Perill. WENDT, Praeceptor ac Fautor religioſe venerandus, H. in praelectt. ſuis hic commendat.)

13) *Arthritis et Rheumatismus*. Tam extract. interne cum guaiaco etc. (IAHN), quam externe, leniendi cauſſa, folia, cataplaſm. forma (RENARD). Eadem quoque folia profuere in tumoribus locisque inflammatis ac dolentibus.

14) *Cataracta*. (cum mercur. dulci, ALLIONE. Albi H. extractum, ab aliis uſurpatum, nominat Perill. SELLE.)

15) *Ophthalmiae*. Externe. (Cataplasma e fol. Hyoſc. HVFELAND).

De *Odontalgia*, utpote vix Hyoſc. uſum tutum admittente, taceo.

Ad memoratos hos morbos unum alterumve ſimilem, cui H. opem adtulerit, addere, haud ita difficile erit.

De *externo* uſu foliorum paſſim antea dixi. Pariterque iam ſupra (p. 8.) de *Oleo* ſem. H., *anodynum* id eſſe, affirmavi. Cuius effectus, pro viribus,

a) Nuperrime hoc poſt Ill. HVFELANDIVM a Cl. MATTHAEI (*über die epidemiſche Ruhr*, Han. 1797.) praeclare quoque factum eſſe, modo invenio.

b) *Samml. von Beob. aus der Arzneigel.*, T. I. p. 195.

viribus confirmandi cauſſa hic addam, vix ullum mihi, pluries id experto, hucusque cognitum eſſe medicamentum, quod inprimis *dolores* illos dorſi et lumborum, febrium paroxysmos plerumque comitari ſolitos, praetereaque alios dolores cutis, vel inflammatorios interdum, in plerisque adeo conſtanter citoque tollat, ac illud oleum.

D nique *Vnguentum* quoque Hyoſcyami, aeque ac *Emplaſtrum* eiusdem (vid. ſupra p. 9.), *tumoribus locis*que *inflammatis*, *dolentibus*, *ſpaſtica* irritatione et conſtrictione, vehementius adfectis etc., impoſita, eximios crebro edidiſſe effectus, permultorum experientia, in dies fere aucta, abunde docuit.

Corrigenda.

Pag. 2. lin. 16. leg. *optimam.* p. 5. lin. 11. l. *vocare.* p. 6. lin. 1. l. *ac vi* loco aevi. ibid. lin. 2. l. *ſtupefaciente.* ibid. lin. 13. l. *ſubiicere.* p. 8. lin. 3. l. *fatuus.* p. 9. lin. 3. l. *contuſis.* p. 10. lin. 5. l. *propius.* lin. 7. l. *plantae.* p. 12. lin. 15. l. *obſtare.* ibid. lin. 22. l. *illum* loco hunc. p. 13. lin. 16. l. *cum.* p. 14. lin. 12. l. *ſubpurpureos.* ibid. lin. 9. in nota, l. καρπος. p. 15. l. 14. l. *ruſi.* p. 16. lin. 13. l. *nullum.* p. 18. lin. 20. l. *uſum.* p. 21. not. *h*) lin. 3. l. *excipitur.* ibid. not. *k*) lin. 9. l. *impugnaret.* p. 27. lin. 12. l. *earum.* p. 37. not. *w*) lin. 20. l. *Alexiph.* loco ALEX. p. 40 et 41. errores circa notarum litteras, male confuſas, ſunt commiſſi. Ad litt. *d*) enim, in contextu, pertinet nota *f*), ad litt. *e*), in cont., pertinet not. *d*), et ad litt. *f*), in cont., pertinet not. *e*). p. 47. lin. 29. l. *patiuntur.* p. 48. lin 15. l. *potuerint.* p. 71. ad not. *a*) adde: Cfr. Cl. RADEMACHER apud HVFELAND *Iourn.* III, 4. et Cl. HVNNIVS (*Abh. über d. Ruhr* etc. Ien. 1797).
